DE GRUYTER

*P. Vergilius Maro*

# BUCOLICA

*Silvia Ottaviano (ed.)*

# GEORGICA

*Gian Biagio Conte (ed.)*

BIBLIOTHECA TEUBNERIANA

BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA

BT 2011

# P. VERGILIVS MARO

## BVCOLICA

EDIDIT ET APPARATV CRITICO INSTRVXIT
SILVIA OTTAVIANO

## GEORGICA

EDIDIT ET APPARATV CRITICO INSTRVXIT
GIAN BIAGIO CONTE

DE GRUYTER

ISBN 978-3-11-019608-5
e-ISBN 978-3-11-026248-3
ISSN 1864-399X

*Library of Congress Cataloging-in-Publication Data*
A CIP catalogue record for this book has been applied for at the Library of Congress.

*Bibliographic information published by the Deutsche Nationalbibliothek*
The Deutsche Nationalbibliothek lists this publication in the Deutsche Nationalbibliografie; detailed bibliographic data are available in the Internet at http://dnb.dnb.de.



Printing: Hubert & Co GmbH & Co. KG
∞ Gedruckt auf säurefreiem Papier

Printed in Germany

www.degruyter.com

# HOC LIBRO CONTINENTVR

## BVCOLICA



## GEORGICA

# BVCOLICA

PATRIS CARISSIMI

MONTIBVS ET SILVIS

# PRAEFATIO

*Pastoralia… commune autem illud habent: ut cuiuscumque generis negotium semper retrahant ad agrorum naturam.*
Iulius Caesar Scaliger[*]

Arcadiae Vergilius fuit inuentor: primus enim e Latinis uitam quam pastores per agros ac siluas cotidie degunt cantare non erubuit. Cum Theocriti Musa, proprio quodam lepore iucunda, satis rustica uideretur esse, aemulaturus sane Vergilius ex industria consequi ualuit quod insitum non erat linguae Latinae[1]. Nouum sane poeticae genus constituit, ille qui Arcades pastores cottidiana lingua scite et eleganter loquentes finxit, ut suauitas tenuis fistulae cum urbana uenustate coniungeretur[2]. Horatius nimirum ipse poetae amico hanc quidem tribuit laudem cum scripsit: *molle atque facetum Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae* (*Sat.* 1, 10, 46). *Bucolica* carmina rusticam simplicitatem ac mimicam euidentiam ita sectantur ut fere res agi uideatur in scaenis: nam Vergilius, sicut iam Theocritus, sermonem familiarem saepe simulat personasque prompte colloquentes ac narrantes inducit. Genus ipsum carminis postulabat quoque ut membrorum concinna fieret dispositio, praesertim in amoeboeis: hoc quidem summa cura Vergilius persecutus est, quem non solum eurythmiae ac symmetriae sed etiam decoris et partium distributionis ualde studiosum constat fuisse[3]. Hoc igitur mihi primum fuit in *Bucolicon* textu edendo, ut lectiones illas uel coniecturas deligerem quae fere maxime poetae subtili iudicio responderent: eas enim praeoptaui quae ad uiuidam

* *Poetices Libri septem*, Lugduni 1561, lib. III, cap. XCIX, 379–380.

1 Cf. Ps. Probus 325, 25 sqq. «*Bucolica* Theocritus facilius uidetur fecisse, quoniam Graecis sermo sic uidetur diuisus, ut Doris dialectos, qua ille scripsit, rustica habeatur. Opportunum fuit ergo ei, qui pastores inferebat, ea lingua disputasse. Vergilio tanto factum opus maius, quanto una lingua loquens sensus rusticos aptare elaborauit sine reprehensione sermonis».

2 B. Snell, *Arkadien: Die Entdeckung einer geistigen Landschaft*, in *Die Entdeckung des Geistes: Studien zur Entstehung des europäischen Denkens bei den Griechen*, Hamburg 1953, 26–41.

3 Vide quae nuper scripsi in «MD» 69, 2012, 63–80.

elocutionem aptius conuenirent[4] (uide e.g. 3, 100 *heu heu*, *quom…*; 3, 101 *hisce*; 4, 62 *qui non risere parentes…hunc*), aut quae cum ingenio et indole fabulae pastoralis uerius consentire uiderentur (uide ad 3, 79; 7, 45–48; 8, 105–107; 9, 46–50).

*Pollio amat nostram, quamuis est rustica, Musam*: carmina tam noua et inaudita sine mora fama ingens secuta est, ita ut nonnulli eiusdem aetatis poetae admiratione pleni saepe sint *Bucolica* imitati. Nec uero inuidi obtrectatores defuerunt qui per ridiculum Vergili uersus detorquerent: Numitorium quendam constat eo acerbitatis uenisse ut *Antibucolica* scripserit (*Vita Donati* 43)[5]. Tam magnum nomen testantur auctores multi: inter quos Quintilianus Gellius Macrobius et grammatici complures saepe uerba scriptoris ad fidem seruauerunt (uide ad 1, 12; 3, 77; 4, 59, 62; 6, 62; 9, 8–9). Sub aeui antiqui occasum non solum Seruius sed etiam alii commentatores operam ad eclogas explanandas adsiduam nauauerunt (at eorum nomina uix reciperare possumus) ut Cornelianus, Hebrus[6], Philargyrius (uel Philagrius), Gaudentius et Gallus[7]. Haec interpretum industria amplo Ps. Probi commentario atque copiosis scholiis quae in codice Veronensi et Mediceo exstant aperte comprobatur: quibus ex omnibus optimo iure magnum commodum cepi (uide e.g. ad 1, 12, 59; 3, 26, 34, 38, 105; 6, 5, 16, 24; 10, 46).

Tanto fauore semper *Bucolicis* adrisit Fortuna quantum libris manuscriptis haec carmina seruantibus aduersata est: cum enim hoc primum Vergili opus primum locum in libris occuparet, saepe factum est ut textus uel totus perierit uel acceperit detrimentum. Itaque ex antiquioribus codicibus tantummodo **P** (*Pal. lat.* 1631) et **R** (*Vat. lat.* 3867) amplas habent huius operis partes, cum non

4 R.G.M. Nisbet, *The Style of Virgil's Eclogues*, «Proc. Verg. Soc.» 20, 1991, 1–14 (= *Collected Papers*, Oxford 1995, 325–337); M. Lipka, *Language in Vergil's Eclogues*, Berlin/New York 2001, 130–144.

5 R.J. Tarrant, *Aspects of Virgil's Reception in Antiquity*, in *The Cambridge Companion to Virgil*, edited by C. Martindale, Cambridge 1997, 56–72.

6 Vide ad 7, 64, 65–66.

7 Haec tria nomina in scholiis Bernensibus inueniuntur; est autem *Explanatio in Bucolica* tantum Philargyrio adscripta. Horum interpretum commentaria magnae sunt utilitati ad explendam codicum Serui lacunam (1, 3 – 2, 10).

solum **M** (*Med. Laur. lat. Plut.* XXXIX, 1) usque ad sextam eclogam mutilus sit, sed etiam **V** (*Veronensis* XL, 38) pauca tantum folia defendat; trunci denique reliqui tres (**FGA**) *Bucolicis* omnino carent. Hos libros inuenies cunctos descriptos in praefatione ad *Aeneida* a Ioanne Blasio Conte nuperrime editam in Bibliotheca Teubneriana[8]. Priores editores (inter hos maxime Marium Geymonat[9]) plerumque secuta, codices **P** et **R** tamen denuo contuli, quorum nouas atque accuratissimas imagines nuper phototypice expressas Bibliotheca Vaticana mihi inspiciendas commodauit[10]; ipsum autem Mediceum Iulia Ammannati adiit, quam solam credo posse correctiones egregie diiudicare. Duae tantum papyri ex bucolico carmine fragmenta praebent, quarum altera, quamuis antiquiore, usa non sum, cum tantummodo frustula seruet eademque ad textum constituendum parum fructuosa (*P. Narm*. 66. 362, Pack$^3$ 2935, saec. I ex.: 8, 53–62)[11]; alteram uero siglo $\Pi_1$ notaui (*P. Strasb. lat*. 2, Pack$^3$ 2935.1)[12].

Plures e Carolina aetate libri manuscripti supersunt, inter quos **γ** et **a** longe praestant: hic enim in *Bucolicis* ita ad **R** accedit ut ab eo plane descriptus uideatur[13], ille autem Palatini uestigiis insistit[14]; utriusque tamen in apparatu semper feci mentionem ut aperte ostenderem et ubi et quotiens ab exemplaribus illis antiquioribus

8 P. Vergilius Maro, *Aeneis*, recensuit atque apparatu critico instruxit I.B. Conte, Berolini et Noui Eboraci 2009, VII–XII.

9 P. Vergili Maronis *opera*, post R. Sabbadini et A. Castiglioni recensuit M. Geymonat, Romae 2008$^2$ (Augustae Taurinorum, 1973$^1$).

10 Exinde in lucem proferre potui nonnullas lectiones antehac neglectas: uide e.g. 1, 71–72 (uersus ab antiquo codicis **P** correctore eiecti); 2, 56–57 (uersus a manu recentioris aetatis in codice **R** quasi ex uoce poetae dicti indicantur).

11 C. Gallazzi, «ZPE» 48, 1982, 75–78.

12 M. Geymonat, «Helikon» 4, 1964, 345–347.

13 Vide ad 2, 1, 61, 73; 3, 38, 74, 98; 4, 33, 59; 5, 27, 29, 38, 40, 49; 6, 2, 38, 50, 62, 78, 81; 10, 54, 55, 69. Alia communia menda breuitatis causa omisi in apparatu.

14 Vide ad 2, 70; 3, 51; 5, 51.

discordarent[15]; si uero **R** uel **P** deficiebant, **a** et **γ** eorum subdidi in locum (uide conspectum siglorum). Reliquos Carolinos libros qui supersunt (de fragmentis praeter unum taceo[16]) omnes recensui: nam iis, quos Ribbeck et Mynors[17] iam contulerant, nouem addidi inexploratos: **g, i, j, k, l, w, x, y, z**. Hos igitur uniuersos omnes de integro ego contuli ipsa[18]. Cum ceteros iam M. Geymonat (Romae 2008, XXII–XXIV) et I. B. Conte (Lipsiae 2009, XXI–XXV) tractauerint, unum quem prima adhibui describam oportet:

**l** = *Vat. lat.* 3252, ex Bernardi Bischoff iudicio in Germania sub anno DCCCC scriptus, non ex Italia oriundus ut uulgo credebatur. Hic liber, 'Vergilius Bembinus' appellatus quia Bernardi Bembo (1433–1519) in possessione fuit, a Fuluio Vrsino est postea detentus et in Bibliothecam Vaticanam denique adscitus; idemque, cum partem *Appendicis* contineret quae 'iuuenalis ludi libellus' uocabatur, nomen quoque 'Vergili lusus' ad tempus gessit; quapropter a doctis uiris ueluti *Appendicis* testis usque adhuc tantum adhibitus est (siglo **B** eum indicauerunt editores Clausen-Goodyear-Kenney-Richmond). Errores autem

15 Perraro in *Bucolicis* fit ut **a** aliter legat ac **R**: uide ad 2, 63–65, 69–73; 3, 90; 5, 61; 10, 38. Saepius autem **P** et **γ** non consentiunt: uide praecipue eos locos ubi **P** errat, at bene legit **γ**: 2, 12, 22; 3, 66; 5, 66; 8, 11; 9, 25, 46–50, 64. Correctiones codicis **γ** diligenter adnotaui, cum nonnumquam lectiones notabiles immo optimas tradant (uide e.g. 4, 55 *uincat* $\mathbf{P\gamma^1}$: *uincet* $\mathbf{P^2R\omega\gamma}$). Cf. I.B. Conte, *Praef. Ad Aen.*, XIX adn. 38.

16 Codex Valentinianensis 178 (170) fragmentum continens Vergiliani libri saec. IX[1] in Gallia septentrionali exarati, quem siglo $\varphi_1$ notaui. Cetera eiusdem aetatis fragmenta, cum breuiora uel parui momenti ad textum constituendum essent, laudari digna non iudicaui.

17 P. Vergili Maronis *opera*, recognouit breuique adnotatione critica instruxit R.A.B. Mynors, Oxford 1972[2].

18 Hoc feci etiam ut errores priorum apparatuum emendarem: uide e.g. 3, 38 *facilis* **n** (non *facili*), 3, 100 *herba* **n** (non *eruo*), 4, 7 *demittitur* **γbcekrxyzΛ** (non tantum **cenr**), 7, 27 *laudabit* **γ** (non *laudauit*), 8, 11 *desino* **γ** (non *desinam*), 9, 25 *ferit* **γ** (non *perit*).

nonnulli eruti sunt qui codicem **l** cum aliis Vergilianis codicibus **dz**[19] eundem textum *Appendicis* continentibus coniungunt. Descripsit Munk Olsen II, 789–790[20]; MCBV III 2, 160–163[21].

In apparatu nostro duo sigla placuit nouare ut duae familiae codicum apte distinguerentur: itaque Φ omnes Carolinae aetatis codices Francogallicos significare statui, at Λ codices illos Longobardicos quos, in Italia inferiore saeculis X et XI exaratos scriptura quae dicitur Beneuentana, nullus editor antea uulgauerat (**n** uero Marius Geymonat adhibuit). Decem omnino ad nos peruenerunt[22], quorum, tribus truncis neglectis[23], hos septem in *Bucolicis* et *Georgicis* examinaui:

*v* = *Neap. Vindob. lat. 5*, saec. X$^{1}$ (uel IX exeunte[24]) Campania oriundus, ex ipsa urbe Neapoli fortasse, prius in Iani Parrhasii manibus fuit, deinde in Sancti Ioannis ad Carbonara monasterium peruenit et post aliquot peregrinationes Neapoli adhuc adseruatur. Hic liber, quem in scholarum usum opinor paratum fuisse, Seruianam explanationem quoque continet, non in marginibus ut fieri solet transcriptam sed uersibus Vergilianis interiectam; quapropter saepe inter Serui testes potius quam Vergili adnumeratur. Immo editores Haruardiani, qui Serui

19 Vide e.g. 1, 72; 5, 9, 68; 6, 10, 79; 8, 34; *georg*. 1, 72. Ea pars codicis **d** quae *Appendicem* continet inuenitur hodie (una cum *Aen.* 12, 682–952) in *Par. lat*. 8093, ut ego ipsa iam demonstraui: uide Conte, *Praef. Aen*. XXII adn. 44.

20 B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins aux XI$^{e}$ et XII$^{e}$ siècles. Catalogue des manuscrits classiques latins copiés du IX$^{e}$ au XII$^{e}$ siècle*, II, Paris 1985.

21 *Les manuscrits classiques latins de la Bibliothèque Vaticane*, III, 1, Paris 1991.

22 E.A. Lowe, *Virgil in South Italy*, «Stud. Med.» n.s. 5, 1932, 43–51 [= *Paleographical Papers*, I, Oxford 1972, 327–334]; id., *The Beneventan script*, Roma 1980$^{2}$.

23 Duo sunt Casino oriundi: cod. *Casin. Compact. XV* (saec. XI$^{3/4}$); *Vat. Gr*. 2324 (saec. XI$^{ex.}$). Ex libris Bernardi Rosenthal extat fragmentum saec. XI$^{2}$ Barii transcriptum: uide V. Brown, «Stud. Med.» 40, 1978, 271.

24 A. Petrucci, C. Romeo, *Scriptores in urbibus: alfabetismo e cultura scritta nell'italia altomedievale*, Bologna 1992, 193.

explanationem ad *Aeneida* peruulgauerunt, hunc coluerunt satis; qui autem quam artis uinculis coniunctus sit cum Serui praestanti codice *Vat. lat.* 3317, ex eadem regione oriundo, Stoker bene confirmauit[25]: non parui autem est pretii codex ille Vaticanus, qui formam eius commentarii propriam praebet, ut ex ipsis Scholiis Vaticanis in *Georgicon*, a Georgio Thilo editis, colligi potest. Mutilus hic codex est, nam caret plerisque *Bucolicis* (restant 8, 44 – 10, 20) ac totis *Georgicis* (quae certe continebat[26]); totam seruat *Aeneida* exceptis uersibus 12, 84–110 et 12, 347–952.

Descripsit Munk Olsen II, 747; *Virgilio e il chiostro* n° 40[27].

**n** = *Neap. Vindob. lat. 6*, saec. X² Neapoli, ut uidetur, exaratus, Ioanne III consule et duce (928–968): hic enim «libros, quos in sua dominatione inuenit, renouauit atque meliores effecit, deinde anxie inquirens sicut philosophus…multos et diuersos libros accumulauit et diligenter scribere iussit»[28]. De ista Vergiliana renouatione indicium faciunt insignes picturae quae plurimae ibi continentur: afficimur enim admiratione quod, post duo antiqua exemplaria (**FR**), nullus fere liber usque ad hanc aetatem inuenitur cuius textus imaginibus pictis exornatus sit. Inde suspicari licet hunc codicem ex uetusto fonte manasse cum praesertim uarias lectiones haud nullius momenti seruauerit[29]. Dicas profecto non solum Vergili textum sed etiam antiquam pingendi artem refloruisse per has imagines renouatam,

25 A. F. Stocker, *A Possible New Source for Servius Danielis on Aeneid III–V*, «Studies in Bibliography» 4, 1951–52, 129–141. Sed uide Ch. E. Murgia, *Prolegomena to Servius 5. The manuscripts*, Berkeley; Los Angeles; London 1975, 136–141.

26 Ch. E. Murgia, *Prolegomena*, 139.

27 M. Dell'Omo, (cur.), *Virgilio e il chiostro. Manoscritti di autori classici e civiltà monastica*, Roma 1996.

28 *Monumenta ad Neapolitani ducatus historiam pertinentia*, edidit B. Capasso, Neapoli 1881–1892, I, 339–340.

29 Vide e.g. ad 3, 81; 4, 18, 52, 57; 5, 46, 77; 6, 5, 6; 8, 40, 44.

quamuis formis cultuque Aeui Medii indutam[30]. Scholia praecipue de Seruio uulgato deprompta sunt (id quod tamen non satis est inuestigatum). Hic liber denique confirmat quanto studio quantaque diligentia carmina Vergili Neapoli lectitata sint[31]: in hac urbe, eandem sortem quam codex *ν* secutus, sine intermissione usque ad XVIII saeculum **n** seruatus est, huc postea e Vindobonensi exilio rediit. Primus contulit Geymonat 1973 (uide etiam Geymonat 2008, XIV adn. 38).
Descripsit Munk Olsen II, 747–748; *Virgilio e il chiostro* n° 42.

**o** = *Oxon. Canon. Class.* 50 Apulia oriundus (XI$^{3/4}$), non dissimilem exhibet scribendi et exornandi rationem quam in libris sub medio XI saeculo Barii confectis uidemus[32]. Hic liber, omnia Vergili carmina continens, cum folia aliquot amiserit, admodum est praesertim in *Georgicis* lacunosus; in marginibus transcriptam affert Serui explanationem, cui nonnullae additae sunt adnotationes a commentario quod Philargyri dicitur uerisimiliter depromptae[33]. In manibus Antonii Beccaria fuit, a quo manuscriptum quempiam Vergili constat Veronensi canonicae Sancti Leonardi anno 1464 donatum esse[34]; postea a claro uiro Venetiano Matthaeo Aloisio Canonici emptus est. Cum primo a G. Butler collatus esset[35], uarias lectiones hic detectas posteri

30 P. Courcelle, *La tradition antique dans les miniatures inédites d'un Virgile de Naples*, «Mélanges d'archéologie et d'histoire» 56, 1939, 243–79; H. Belting, *Studien zur beneventanischen Malerei*, Wiesbaden 1968, 137–143; C. Bertelli, *L'illustrazione di testi classici nell'area beneventana dal IX all'XI secolo*, in: *La cultura antica nell'occidente latino dal VII all'XI secolo*, Spoleto 1975, 918.

31 G. Cavallo, *La trasmissione dei testi nell'area beneventano-cassinese*, in: *La cultura antica nell'occidente latino dal VII all'XI secolo*, Spoleto 1975, 379 sq. (=*Dalla parte del libro. Storie di trasmissione dei classici*, Urbino 2002).

32 O. Pätch, J.J. Alexander, *Illuminated Manuscripts in the Bodleian Library*, Oxford 1970, II, 2 n°12; G. Cavallo, *La trasmissione*, 402 sq.

33 J.J. Savage, *The manuscripts of Servius's Commentary on Virgil*, «Harv. Stud. Class. Phil.» 45, 1934, 201 sq.

34 R.W. Hunt, *The survival of Ancient Literature*, Oxford 1975, 61.

35 *Codex Virgilianus*, *qui nuper ex biblioth. Can. Abbatis Venetiani Bodleianae accessit cum Wagneri textu collatus a G. Butler*, Oxford 1854.

neglexerunt editores; eum siglo **o** distinxit Otto Ribbeck eumque in Prolegomenis commemorauit[36]; idem siglum ego sum mutuata.

Descripsit Munk Olsen II, 750–751; *Virgilio e il chiostro* n° 45.

δ = *Par. lat.* 10308 Casini descriptus saec. XI$^{3/4}$, ut F. Newton demonstrauit[37], omnia Vergilii carmina continens, ita instructus uidetur fuisse ut explanationem quoque haberet amplis in marginibus, qui tamen adnotationibus repleti sunt non omnes. Glossemata et scholia, quae non modo ex Seruiana doctrina constant, nonnumquam in *Georgicis* possunt cum *Vat. lat.* 3317 comparari[38]. Cum hic liber in possessione Pii VI fuerit, cuius priuata bibliotheca anno 1798 redintegrata est, una cum quadraginta manuscriptis a Pontifice donatis anno 1801 Lutetiam peruenit[39]. Descripsit Munk Olsen II, 765–766.

ε = *Vat. Lat.* 1573 Casini descriptus[40], haud aliter ac δ, sub Desiderio abbate saeculis XIII–XIV rectractatus est: nam ea aetate accesserunt non solum extrema *Aeneidos* pars a u. 7, 371 usque ad finem, sed etiam aliquot glossemata et scholia. Versus 1–42 primae eclogae, pristinis uestigiis recalcatis, repinxit aliqua saeculi XII manus, quae mihi uidetur ductus Beneuentanae manus subiacentes diligenter renouasse: nam euanida prioris manus signa possunt facile agnosci, ut etiam ex uersu spurio apparet qui est margini inscriptus ut uersum 17 sequatur. Hic liber, cum in possessionem uenisset Nicolai V Pontificis, iam anno 1455 relatus est in indicem Vaticanum.

36 *Prolegomena critica ad P. Vergili Maronis opera maiora*, scripsit O. Ribbeck, Lipsiae 1866 (= Hildesheim 1966 phot. expr.), 348–353.

37 F. Newton, *The Scriptorium and Library at Montecassino*, Cambridge 1999, 148 sq.

38 J.J. Savage, *The manuscripts of the Commentary of Servius Danielis on Virgil*, « Harv. Stud. Class. Phil.» 43, 1932, 77–121.

39 E.K. Rand, *Un nouveau fragment bénéventin* «Latomus», 2, 1938, 279–283; M.-P. Laffitte, *La Bibliothèque nationale et les "conquêtes artistiques" de la Révolution et de l'Empire: les manuscrits d'Italie (1796–1815)*, «Bulletin du bibliophile» 2, 1989, 309 sq.

40 F. Newton, *The Scriptorium*, 108 sq.

Descripsit Munk Olsen II, 786; MCBV III 1, 135–138[41].

ζ = *Vat. lat.* 3253. hic codex, quem Franciscus Newton censuit Casini descriptum esse exeunte ferme XI saeculo[42], non solum scholiis caret sed mutilus est parte priore: exstant enim *georg.* 1, 421 – *Aen.* 12, 471. Prius quam in Bibliothecam Vaticanam adscitus est, in Fului Ursini possessione fuit[43].
Descripsit Munk Olsen II, 790.

η = *Reg. Lat.* 2090 Apulia oriundus[44], descriptus est XI saeculo exeunte, etiamsi aliquas exhibet partes postea suppletas: etenim, cum codex pristinus, de quo *buc.* 7, 63 – *Aen.* 10, 666 tantum supersunt, et principium perdidisset et finem, *Aeneidos* extremam partem primasque eclogarum tres subdidit aliqua manus humanisticae aetati adscribenda, quam ego neglexi. E contrario uarias lectiones (siglo η adhibito) commemoraui quas in subditicio folio inueni: hoc folium, saeculo XIV scriptum, uersus *georg.* 1, 148–219 propter codicis iacturam amissos suppleuit; ex mendis autem facile potest intellegi hunc librarium antigrapho usum esse Beneuentana scriptura exarato (uide *georg.* 1, 215 *fabis*] *fauis* **o**η; 216 *accipiunt*] *accipiant* **cn**η; 218 *auerso*] *aduerso* **n**η). Codex, qui scholia et glossemata continet, eiusdem aetatis nonnulla, permulta uero recentiora, medio ferme XIII saeculo nondum excesserat meridiana Italiae regione; ibi Nicolaus quidam imagunculas aliquas adumbrauit[45].
Descripsit Munk Olsen II, 784; *Virgilio e il chiostro* n° 47.

41 *Les manuscrits classiques latins de la Bibliothèque Vaticane*, III 1, Paris 1991.

42 F. Newton, *The Scriptorium*, 110–112; 174 sq.

43 P. De Nolhac, *La Bibliothèque de Fulvio Orsini*, Paris 1887, 240, 274.

44 E.A. Lowe, *Virgil in South Italy*, 50–51; Y.-F. Riou, «Cahiers de civilisation médiévale», 33, 255–280, 393.

45 C. Villa, *Commentare le immagini. Dalla rinascita carolingia al Trecento*, in: M. Buonocore (cur.), *Vedere i classici. L'illustrazione libraria dei testi antichi dall'età romana al tardo medioevo*, Roma 1966, 61.

His codicibus examinatis, nonnulla mihi occurrerunt menda quae eos cognatos esse comprobarent, ab illis Carolinis uero diuisos[46]. Sunt tamen etiam menda quibus communiter et Longobardici et Carolini laborentur[47]: quare siglo **ω** horum consensum (uel illis exceptis quos separatim nominarem) notaui. Quantum autem boni de istis libris capiatur ex aliquot locis inferri potest ubi sinceras lectiones soli tradere uidentur quas antiquiores testes, laceri fortuito uel passim mutilati, amiserunt[48]. Codices autem recentiores perraro commemoraui, at Ausonensem 197, qui antiquissimus extat inter libros in Hispania transcriptos[49], ad fidem aliquarum lectionum confirmandam placuit nonnumquam uocare (5, 45; 8, 56; 10, 33). Nam, cum Vergili codices a stirpe prima quasi patriciam familiam ordine enumerare non detur, officium editoris esse credo eas reliquias detegere ac defendere quae in grege tam contaminato pristinam sinceritatem seruent. Qua in re a multis iam praecurrebar qui suae sapientiae lampada posteris tradiderunt.

Maximo lucro, fateor enim, omnes priorum editorum labores nobis fuerunt, maximaque ergo gratia reddenda est Ottoni Ribbeck, Remigio Sabbadini, Aloisio Castiglioni, Rogero Mynors, Mario Geymonat, qui plurimum firmamenti inuestigationi nostrae dederunt; ne taceamus tamen de ingeniosis doctisque uiris Perret[50] et Goold[51] qui nonnumquam nostras exacuerunt cogitationes. Multum profuerunt etiam antiquiores editiones, in primis Bur-

46 Vide ad 1, 17, 63 (*labetur*); 2, 57 (*concedet*); 3, 51 (*lacesses*), 84 (*sit*); 4, 61 (*tulerant*); 7, 67 (*nos*); 8, 39 (*ceperat*), 107 (*certi est*); 10, 13 (*illum etiam*). E contrario nonnumquam fit ut, ubi Carolini errent, Longobardici bene legant: uide e.g. 3, 38 (*facili*); 9, 6 (*uertat bene*); 10, 10 (*peribat*).

47 Vide 1, 72 (*en quis*); 2, 73 (*alexis*); 4, 52 (*laetentur*), 55 (*uincet*); 6, 30 (*miratur*), 33 (*exordia*); 8, 58 (*fiant*); 10, 19 (*opilio*).

48 Vide 1, 12 (*turbatur* **kyzΛ**); 3, 26 (*iuncta* **ε**), 66 (*at* **ωγ**); 4, 59 (*dicet* **P²eε**); 5, 3 (*considimus* **cdekΛγ¹**), 25 (*nec* **Λ**); 45 (*nobis carmen* **er**) ; 6, 85 (*referri* **MˣPˣcfikxyφ₁γ**); 8, 74 (*hanc* **tΛ**).

49 M. Librán Moreno, «Ex. Class.» 9, 2005, 22–73.

50 Publius Vergilius Maro, *Les Bucoliques*. Edition, intr. et comm. de J. Perret, Paris 1961.

51 Virgil, *Eclogues Georgics Aeneid I–VI*, with an English translation by H. R. Fairclough revised by G.P. Goold, Cambridge, MA 1999.

manniana[52], quae notas uariorum plurimas continet, nec minus ea quae ampla ac subtili explanatione a Christiano G. Heyne et G. Wagner[53] instructa est. Hoc enim studui ut optima quaeque reciperarem quae, iam neglecta et uulgo oblitterata, aliqui uiri sapientes antea excogitassent[54].

Apparatus meus uolui ut lectiones uarias nonnisi necessarias, uel alioquin utiles, exhiberet, salua tamen integritate totius testificationis: etenim cursum tenui quem prius Ioannes Blasius Conte in *Aeneidos* apparatu est feliciter secutus: itaque medium quiddam paraui inter Rogeri Mynors sobriam breuitatem et Mari Geymonat abundantiam copiosam[55]. In textu *Bucolicon* constituendo, sicut ante iam dixi, spectare studui quam maxime Vergili scribendi usum, praesertim ubi mutili sunt codices uetustissimi, quorum tamen auctoritati sum interdum reluctata si ratio et prudentia me magis instabant. Vtinam ne, cum tempus uenerit ignobilis otii, temeritatis me paeniteat quam audax iuuenta accendit!

Si textum meum examinaueris, nonnulla noua inuenies: insunt enim emendationes quas egomet ipsa excogitaui[56]; insunt etiam coniecturae quae, ab aliis prolatae nec umquam receptae, ibi primum hospitii iura obtinent[57]; insunt denique lectiones aliquot quae, etsi honeste traditae, hactenus apud editores fere nullos plenum

52 P. Virgilii Maronis *opera*, curauit P. Burmannus junior, Amstelaedami 1746 (uide indicem philologorum).

53 P. Virgili Maronis *opera* uarietate lectionis et perpetua adnotatione illustrata a Chr. G. Heyne, editio quarta; curauit G. P. E. Wagner, I, Lipsiae – Londini 1830.

54 Vide 1, 44 (*hoc*); 3, 79 (*Iolla*); 3, 98–99 (uersus transpositi), 3, 100 (*quom*).

55 Ab hac ratione tunc discessi cum uoces insulsas uel absurdas in apparatum rettuli, quae tamen lectori nonnihil prodesse uiderentur: uide e.g. 7, 23 (*possimus* in multis libris inuenitur); 5, 66 (sunt enim qui *duas altaria Phoebo* in suspicione uocent). Duplices lectiones quas codex Palatinus saepe exhibet diligenter transcripsi: 2, 61 (*quase*), 73 (*fastidiat*); 5, 25 (*necque*); 6, 34 (*omnisa*), 74 (*loquaor*).

56 Vide 3, 79 (*Iolla*), 102 (*hisce arte*), 4, 23 (uersus deletus), 54 (*quantus*), 5, 30 (*et ducere*), 7, 45–48 (uersus transpositi), 9, 45 (*nisi*).

57 Vide 1, 44 (*hoc*), 2, 2 (*qui*), 94–99 (uersus transpositi), 100 (*quom*), 5, 28 (*feros siluasque*), 7, 46 (*grata*).

honorem umquam habuerunt[58]. Cui tribuendi essent uersus uel singuli uel continuati, attentissime perpendi, itaque personarum loquentium nomina, si res poscebat, permutaui[59]. Saepe autem, distinctione commutata, sensum potui restituere probabiliorem[60]. In apparatu meo etiam nonnullas adnotatiunculas inuenies, quibus conata sum locos explicare ambiguos uel suspectos: criticorum enim opiniones dissidentes fidem codicum in discrimen adduxerant periculose[61].

Quod nunc ad orthographiam pertinet, pauca de hac incertissima materia adiciam prudentibus uerbis quae Ioannes Blasius Conte in *Praef. ad Aen.* scripsit: illa omnino sum secuta. Difficilis instat in *Bucolicis* quaestio utrum Graeca nomina Graece declinata sint an Latine: equidem ego, propter Vergilianam Theocriti aemulationem, etsi pauci de codicibus praesidio mihi essent, Graecam tamen rationem praeoptaui[62]. Nam et metrum ipsum[63] et codicum adfluentia[64] formas Graecas nonnumquam confirmant; Macrobius autem testatur (*Sat.* 5, 17, 19) saepe Vergilium declinationibus Graecis delectatum esse. Attamen aliquis modus est, credo, retinendus: is enim fallitur qui nomina ad unam formam ita accommodat ut Graeca sint omnia, quod Coleman temere fecisse constat[65]. Certe enim Vergilius non solum decentiae attentus sed etiam uocalitatis studiosus, quiddam medium maluit tenere; quare eum puto *Alconis* scripsisse, non *Alconos*, pariterque *Alcimedontis*,

58 Vide 1, 59 (*aequore*), 64 (*labantur*), 72 (*perduxit*), 2, 32 (*primus*), 3, 34 (*altera*), 4, 18 (*ac*), 52 (*laetantur*), 55 (*uincat*), 59 (*dicet*), 62 (*parentes*), 5, 3 (*considimus*), 25 (*nec*), 38 (*purpurea*), 45 (*nobis carmen*), 6, 2 (*nec*), 30 (*mirantur*), 85 (*referri*), 7, 25 (*nascentem*), 48 (*laeto*), 68 (*cedet*), 8, 24 (*primum*), 74 (*hanc*), 9, 9 (*ueteris…fagi*).

59 Vide ad 7, 49–56, 8, 105–107, 9, 46–50.

60 Vide ad 1, 69 (*mea regna uidens*), 71–72 (*en…?*), 3, 50 (*ecce Palaemon*), 5, 66 (*altaria*), 6, 16 (*tantum capiti delapsa*), 38 (*altius*).

61 Vide ad 1, 53, 69; 2, 32–33; 3, 10–11, 79, 88, 105, 110; 4, 46; 5, 66; 6, 16, 24, 80; 7, 19, 70; 9, 36; 10, 16–18, 44.

62 Vide 2, 14; 3, 81 (*Amaryllidos*), 3, 12 (*Daphnidos*), 6, 13 (*Mnasyllos*), 8, 30 (*Hesperos Oetan*), 8, 98; 9, 53 sq. (*Moerin*).

63 Vide e.g. 1, 5 (*Amaryllida*), 2, 6 (*Alexi*), 5, 52 (*Daphnin*).

64 Vide 2, 1; 5, 86 (*Alexin*), 3, 15 (*Menalcan*), 5, 20, 51; 7, 7; 8, 68 (*Daphnin*). His locis codices Carolinos in apparatu non indicaui.

65 Virgil, *Eclogues*, edited by R. Coleman, Cambridge 1977, 39.

*Coridonis*, *Damonis*, *Miconis*, *Aegonis*, prout aures sane postulabant[66]. Cetera nomina, e.g. *Mopsus* et *Ismarus*, a Latinis formis minime differebant aut a poetis iam usurpata in consuetudinem uenerant (6, 2 *Thalea*; 8, 69 *Ulixi*); nomen autem *Phyllis* ancillis tam frequenter impositum esse credo (cf. Hor. *carm*. 2, 4, 14) ut peregrinum non iam sonaret: quare *Phyllidis* (5, 10; 7, 59), non *Phyllidos* dixit. Vergilius uero tantum gaudebat in declinationum uarietate ut uerisimile sit eodem nomine tum Graece tum Latine usum esse (6, 30 *Hesperos*, 10, 77 *Hesperus*).

Quod autem ad cetera uerba attinet, tantum eas uarias lectiones adnotaui quae mihi haud superfluae uisae sunt (e.g. 1, 13 *protenus*, 2, 22; 3, 6 *lact*, 3, 39 *ederam*); nunc uero de adiectiuo *formosus*, saepe in *bucolicis* usurpato, aliqua singillatim explicabo. Etiamsi tituli lapidarii ueterioresque libri manuscripti (inter quos Vergiliani quoque)[67] *formonsus* nonnumquam scribunt, etymologia tamen huic scribendi rationi suffragari non uidetur[68], de qua nullam in apparatu critico feci mentionem. Restat ut de accusatiuis pluralibus in *-is* et *-es* exeuntibus paucos locos indicem ubi formam *-es* praetuli (plerumque alteram sum secuta): praeter eos, ubi et libri et editores fere omnes consentiunt[69], habes 1, 73 (*uites*[70]), 3, 96

66 Vide e contrario quae Quintilianus affirmat: «Mihi autem placet rationem Latinam sequi, quousque patitur decor. Neque enim iam ‘Calypsonem’ dixerim ut ‘Iunonem’, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi; sed auctoritatem consuetudo superauit» (*Inst*. 1, 5, 63).

67 2, 1 *formonsus* **R**; 17 *formonse* **R**; 45 *formonse* **PR**; 3, 79 *formonse* **R**; 4, 57 *formonsus* **PR**; 5, 44 *formonsi* **PR**; 7, 38 *formonsior* **Par**; 7, 55 *formonsus* **Pa**; 10, 18 *formonsus* **PRabr**.

68 F. Skutsch, *Odium und Verwandtes*, «Glotta» II (1910), 244–246 (= *Kleine Schriften*, Leipzig 1914, 402–405).

69 1, 22 *similes*; 3, 108; 9, 14 *lites*; 4, 39 *merces*; 5, 57 *nubes*; 6, 76 *rates*; 9, 61 *frondes*; 10, 58 *rupes*; 10, 66 *niues*.

70 Hanc lectionem omnes libri testantur: adde quod forsitan quodam modo memoratur 9, 50 *nepot*es.

(*pascentes*[71]), 3, 98 (*oues*[72]), 3, 105 (*tres*[73]) et 8, 13 (*uictrices*[74]). Quid multa? inter omnes constat libros manuscriptos tanta inconstantia esse ut nec firmissimam nec grauissimam possint auctoritatem iactare; editores contra, fide tam incerta innixi, si ueram Vergili orthographiam restituere omni pretio conabuntur, necesse est incidant in errorem.

De ipsa operis inscriptione breuiter dicam oportet. Titulum qui est *Bucolica* seu *Bucolicon liber* iam ueteres auctores agnoscunt[75] et codices antiquiores confirmant[76]. Nam pastoralia poemata, ut constat, a Vergilio sunt Graeco nomine cuncta appellata, haud aliter ac *Georgica* et *Aeneis*. Singula autem carmina *Eglogas* grammatici nuncupauerunt: quam consuetudinem recepi, quia usui mihi esse uidebatur nec mecum uiri docti dissentiebant[77]. Alia nomina, quae singulis carminibus inscripta in libris uel commentariis inueniuntur, omisi: nam ad hoc tantum a grammaticis ficta uidebantur ut singula argumenta explanarent[78]. Fides autem aliqua est Donato facienda, quo teste nomina pastorum antiquitus singulis carmi-

71 F. Bömer, *Der Akkusativus pluralis auf* -is, -eis *und* -es *bei Vergil*, «Emerita» 22, 1954, 205.

72 Respondet enim hic accusatiuus ad uocatiuum (3, 94 *parcite, oues*).

73 Cf. *Aen*. 10, 350 et Gell. 13, 21, 10 sqq. (uide F. Bömer, *Der Akkusativus*, 197–198).

74 F. Bömer, *Der Akkusativus*, 206.

75 Fest. 232 Linds.; Quint. 8, 6, 46; Colum. 3, 9, 4; Macrob. *Sat*. 5, 17, 20; *Vita Donati* 5 Br.; *Vita Probi* 71 Br.; Seru. *Ad buc. Praef.* 3 Th.

76 Codicum antiquiorum inscriptiones haec sunt: *P. Vergili Maronis Bucolica explicit* **G**: *P. Vergili Maronis Bucolicon liber explicit* **M**: *Bucolicon* **P**: *Vergili Maronis Bucolica explic. Feliciter* **R**.

77 A. Traina, *De uocis 'eclogae' ui et usu*, «Latinitas» 15, 1967, 97–100.

78 Vide e.g. inscriptionem eclogae 4 in libris adpositam: *saeculi noui interpraetatio* **γr**; *buc*. 6: *faunorum satyrorum* (*et* add. **R**) *silenorum dilectactio* (*del-* **R**) **PR**; *buc*. 10: *conquestio cum gallo poeta de agris* **M**: *conquaestio de agris cum gallo cornelio* **P**: *incipit egloga decima de desiderio galli circa uoluminiam cuthcidem* (intellige *Volumniam Cytheridem*: uide infra adn. 79) *meretricem quam lycoridem dicit* **a**.

nibus imposita erant[79]; in incerto tamen habetur an ipse Vergilius uoluerit ad hunc modum carmina sua nominari[80]. Cum libri manuscripti de titulis atque nominibus ad personas loquentes appositis consentiant omnes, illa retinui indicia, etsi non semper firmissima sit in hac re auctoritas librorum, ut inter eos constat qui scaenicos poetas ediderunt[81].

Anxia animi atque incerta *Bucolicon* libellum nunc lectoribus commendo, quocum una tantum temporis spatium laete traduxi et laboriose. Profecto, fateor, non sine multorum auxilio aut consilio iter poteram uincere tam durum. Primum laudare iuuat Ioannem Blasium Conte qui custos praesidiumque mihi semper adfuit, saepeque sua loquendi elegantia subuenit: ille me sociam in hoc incepto adiungere uoluit mira liberalitate, ille qui meos animos adhuc rudis iucundissimis disputationibus per duodecim annos formauit. Nam quasi sodalis, immo aequalis, mihi ceterisque discipulis semper fuit nec ullum posuit inter discendum et docendum discrimen: quod maxime τοῦ συμφιλολογεῖν proprium esse puto. Eius optimus discipulus, Emmanuel Berti, ualde mihi opitulatus est qui saepe mecum criticum apparatum ponderauit. In libris examinandis Iuliae Ammannati rara doctrina nonnumquam innixa sum, itemque grates illis bibliothecis persoluendae sunt, in quibus per multos annos Vergili codicum studiosa uersata sum. Quid dicam de iis quos de locis difficilioribus uel nouis coniecturis consului ut quid sentirent aperte dicerent? In primis James N. Adams, Guido D'Alessandro, Marcus Deufert, Maximus Gioseffi,

79 Don. *Verg. ecl. praef.* 68 Hagen: «Prima igitur continet conquestionem publicam, priuatam gratulationem de agro et dicitur 'Tityrus'; secunda amorem pueri et dicitur 'Alexis'; tertia certamen pastorum et dicitur 'Palaemon'; quarta genethliacum et dicitur 'Pollio'; quinta ἐπιτάφιον et dicitur 'Daphnis'; sexta μεταμορφώσεις et dicitur 'Varus' uel 'Silenus'; septima delectationem pastorum et dicitur 'Corydon'; octaua amores diuersorum sexuum et dicitur 'Damon' uel 'pharmaceutria'; nona propriam poetae conquestionem de amisso agro et dicitur 'Moeris'; decima desiderium Galli circa Volumniam Cytheridem et dicitur 'Gallus'».

80 B. Schröder, *Titel und Text*, Berlin 1999, 226–235.

81 Notis, non nominibus personae pristino more designabantur: quare saepe in libris personae mutantur. Vide J. Andrieu, *Le dialogue antique*, Paris 1954, 209–229; 302; M.L. West, *Texual Criticism and Editorial Technique*, Stuttgart 1973, 55.

Stephanus Grazzini, Philippus M. Pontani, Louis Holtz, Michael D. Reeve, Ernestus Stagni multa me docuerunt, sed omnes enumerare longum est: magno enim timore teneor ne quemquam silentio praeteream. In Schola Normali Superiore magistros ac contubernales inueni qui fere alteram mihi domum alterosque focos praestiterunt: horum omnium memoriam habeo gratissimam. Summa spes denique in iis ponitur adulescentibus qui mecum operam fortiter nauauerunt ut Vergiliani codices a temporum obliuione uindicati omnibus doctis peruulgarentur (http://www.sns.it/ricerca/lettere/manoscrittivirgilio/). Et iam nos plura dicere uolentes fugit poetae uox lectoresque adloquitur ipsos.

S.O.
Scribebam Pisis Abellinique
sub occasum anni MMXII

# TABVLA NOTARVM

| | |
|---|---|
| *Acc.* | L. Accius (saec. II–I a.C.). |
| *ps. Acro* | Acronis quae dicuntur scholia in Horatium (ed. O. Keller, Lipsiae 1902–1904). |
| *Agroec.* | Agroecius (saec. V), *Ars de ortographia* (*GLK* VII; ed. M. Pugliarello, Milano 1978). |
| *Anth. Lat.* | *Anthologia Latina* (ed. A. Riese, Lipsiae 1894–1906). |
| *Apthon.* | Aelius Festus Apthonius (= ps. Marius Victorinus, saec. IV?), *De metris omnibus* (*GLK* VI). |
| *Apul.* | Apuleius Madaurensis (saec. II). |
| *Archil.* | Archilochus (saec. VII a.C.). |
| *Arus.* | Arusianus Messius (saec. IV), *Exempla elocutionum* (*GLK* VII; ed. A. Della Casa, Milano 1977; A. Di Stefano, Hildesheim 2011). |
| *Callim.* | Callimachus (saec. III a.C.). |
| *Calp. Sic.* | T. Calpurnius Siculus (saec. I). |
| *Catull.* | C. Valerius Catullus (saec. I a.C.). |
| *Char.* | Flauius Sosipater Charisius (saec. IV), *Ars grammatica* (*GLK* I; ed. C. Barwick et F. Kühnert, Lipsiae 1924, $1964^2$). |
| *Cic.* | M. Tullius Cicero (106–43 a.C.) |
| *CIL* | Corpus Inscriptionum Latinarum. |
| *Claud.* | Claudius Claudianus (saec. IV–V). |
| *Colum.* | L. Iunius Moderatus Columella (saec. I), *Res rustica* (ed. R.H. Rodgers, Oxonii 2010). |
| *Cons.* | Consentius (saec. V), *Ars grammatica* (GLK V). |
| *Diom.* | Diomedes (saec. IV), *Ars grammatica* (*GLK* I). |
| *Don. ad Ter.* | Aelius Donatus (saec. IV), *Commentum Terenti* (ed. P. Wessner, Lipsiae 1902–1905). |
| *Dosith.* | Dositheus (saec. IV?), *Ars grammatica* (*GLK* VII; ed. G. Bonnet, Paris 2005). |
| *DSeru.* | Seruius qui dicitur Danielis uel auctus (quae scholia Seruianis addita partim primus edidit P. Daniel, Parisiis 1600; uide *Seru.*). |
| *Eur.* | Euripides (saec. V a.C.) |

| | |
|---|---|
| *Eus.* | Eusebius Caesariensis (saec. IV), *Constantini oratio ad sanctorum coetum* (ed. L. A. Heikel, Lipsiae 1902). |
| *Exp.* | *Anonymi breuis expositio Vergilii Georgicorum I–II* (saec. V?), male Iunio Philargyrio adscripta (ed. H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902). |
| *Expl.* | *Iunii Philargyrii grammatici explanatio in Bucolica Vergilii* (saec. V?), duplici forma tradita (*Expl. I*, *Expl. II*; ed. H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902). |
| *Fulg.* | Fabius Planciades Fulgentius (saec. V?), *Expositio Vergilianae continentiae* (ed. R. Helm, Lipsiae 1898). |
| *Gaetul.* | Cn. Cornelius Lentulus Gaetulicus (saec. I; in *Fragmenta poetarum Latinorum*, ed. W. Morel, Lipsiae 1927, et denuo J. Blänsdorf, Lipsiae 1995). |
| *Gell.* | Aulus Gellius (saec. II). |
| *Germ.* | Claudius Caesar Germanicus (saec. I in.), *Arati Phaenomena*. |
| *GLK* | *Grammatici latini* ex recensione H. Keilii (I–VIII, Lipsiae 1857–1880). |
| *Gramm.* | e grammaticis tres pluresue (uide indicem auctorum in *GLK* VII). |
| *Hdt.* | Herodotus (saec. V a.C.). |
| *Hier.* | Sophronius Eusebius Hieronymus (c. 347–420), *in Hieremiam libri VI* (ed. S. Reiter, Turnhout 1960). |
| *Hom.* | Homeri Ilias et Odyssea (saec. VIII–VII a.C.). |
| *Hor.* | Q. Horatius Flaccus (65–8 a.C.). |
| *Isid.* | Isidorus Hispalensis (saec. VI–VII), *Etymologiae* (ed. W. M. Lindsay, Oxonii 1911). |
| *Iuu.* | D. Iunius Iuuenalis (I–II saec.). |
| *Lact.* | L. Caecilius Firmianus Lactantius (saec. III–IV). |
| *Lib. Gloss.* | *Liber Glossarum* uel *Glossarium Ansileubi* (saec. VIII; ed. W. M. Lindsay, J. F. Mountford, J. Whatmough, in *Glossaria Latina*, I, Paris 1926). |
| *Lucr.* | T. Lucretius Carus (saec. I a.C.). |
| *Lycophr.* | Lycophron (saec. III a.C.). |
| *Macrob.* | Macrobius Ambrosius Theodosius (saec. V in.), *Saturnalia* (ed. I. Willis, Lipsiae 1963, 1970[2]; ed. corr. 1994). |

| | |
|---|---|
| *Mart.* | M. Valerius Martialis (saec. I). |
| *Meleagr.* | Meleager (saec. II–I a.C.). |
| *Nemes.* | M. Aurelius Olympius Nemesianus (saec. III), *Eclogae*. |
| *Non.* | Nonius Marcellus (saec. IV?), *De compendiosa doctrina* (ed. W. M. Lindsay, Lipsiae 1903). |
| *OLD* | Oxford Latin Dictionary. |
| *Ou.* | P. Ouidius Naso (43 a.C.–18 p.C.). |
| *Pers.* | A. Persius Flaccus (34–62). |
| *Petron.* | C. Petronius Arbiter (c. 27–66). |
| *Plaut.* | T. Maccius Plautus (saec. III–II a.C.). |
| *Plin.* | C. Plinius Secundus (23–79). |
| *Pomp.* | Pompeius (saec. V), *Commentum in artem Donati* (*GLK* V). |
| *Porph.* | Pomponius Porphyrio (saec. III), *Commentum Horatii* (ed. A. Holder, Aeniponti 1894). |
| *Prisc.* | Priscianus Caesariensis (saec. V–VI), *Institutiones grammaticae* (*GLK* II–III). |
| *Probus* | M. Valerius Probus, ut ferunt, *Instituta artium* (*GLK* IV), Palladio (saec. IV) potius adscribenda. |
| *ps. Probus* | Probi qui dicitur *Commentarius in Bucolica et Georgica* (ed. H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902). |
| *Prop.* | Sextus Propertius (c. 50–15 a.C.). |
| *Quint.* | M. Fabius Quintilianus (saec. I ex.), *Institutio oratoria*. |
| *Ruf.* | Rufinus (saec. IV?; in *Anthologia Graeca*). |
| *Rufin.* | Iulius Rufinianus (saec. IV?), *De figuris sententiarum* (*Rhetores Latini minores*, ed. C. Halm, Lipsiae 1863). |
| *Sac.* | Marius Plotius Sacerdos (saec. III), *Artes grammaticae* (*GLK* VI). |
| *schol. Bemb.* | scholia in Terentium Bembina (cod. Vaticanus latinus 3226, saec. IV–V; ed. J. E. Mountford, Londinii 1934). |
| *schol. Bern.* | scholia Bernensia in Vergili *Bucolica* et *Georgica* (ed. H. Hagen, «JKPh» Suppl. IV, 1867 = Hildesheim 1967 phot. expr.). |

| | |
|---|---|
| *schol. Iuu.* | scholia in Iuuenalem uetustiora (ed. P. Wessner, Lipsiae 1931, Stutgardiae 1967[2]). |
| *schol. Med.* | scholia in Vergili *Bucolica* quae in codice Mediceo seruantur (ed. M. Ihm, «RhM» 45, 1890, 622–636). |
| *schol. Stat.* | Lactantii Placidi, ut ferunt (saec. V–VI), *Commentarii* in Statii *Thebaida* et *Achilleida* (ed. R. D. Sweeney, Lipsiae 1997). |
| *schol. Theocr.* | scholia in Theocritum uetera (ed. C. Wendel, Lipsiae 1914). |
| *schol. Ver.* | scholia in Vergilium Veronensia (ed. A. Lunelli, «Maia» 53, 2001, 63–136). |
| *Sen.* | L. Annaeus Seneca (c. 4 a.C.–65 p.C.). |
| *Seru.* | Seruius (saec. IV–V), in Vergilium *Commentarii* (ed. G. Thilo, Lipsiae 1881–1887; accedit *Appendix* ceteros praeter Seruium et scholia Bernensia Vergili commentatores continens, ed. H. Hagen, Lipsiae 1902; ed. Harvardiana, Lancastriae Pennsylvanorum 1946 [in *Aen.* I–II], Oxonii 1965 [in *Aen.* III–V]; ed. G. Ramires, Bologna 1996 [in *Aen.* IX], Bologna 2003 [in *Aen.* VII]; ed. E. Jeunet-Mancy, Paris 2012 [in *Aen.* VI]). |
| *Sil.* | Silius Italicus (saec. I ex.). |
| *Stat.* | P. Papinius Statius (saec. I ex.). |
| *Suet.* | C. Suetonius Tranquillus (saec. II in.). |
| *Symm.* | Q. Aurelius Symmachus (saec. IV). |
| *Ter.* | P. Terentius Afer (saec. II a.C.). |
| *Ter. Maur.* | Terentianus Maurus (saec. II?), *De litteris, de syllabis, de metris* (*GLK* VI; ed. C. Cignolo, Hildesheim 2002). |
| *Theocr.* | Theocritus (saec. III a.C.). |
| *ThlL* | Thesaurus linguae Latinae. |
| *Tib.* | Tiberius Claudius Donatus (saec. IV–V?), *Interpretationes Vergilianae* (ed. H. Georgii, Lipsiae 1905–1906). |
| *Val. Fl.* | C. Valerius Flaccus (saec. I). |
| *ps. Verg.* | ps. Vergilius, *Appendix Vergiliana*. |

# INDEX PHILOLOGORVM

| | |
|---|---|
| Bentley ad Manil. | *M. Manilii Astronomicon*, ex recensione et cum notis R. Bentleii, Londinii 1739. |
| Bonnell ad Quint. | *M. Fabii Quintiliani Institutionis oratoriae libri duodecim*, ad fidem codicum manu scriptorum recensuit E. Bonnell, I–II, Lipsiae 1854. |
| Brunck | *P. Virgilii Maronis Bucolica, Georgica et Aeneis*, ad optimorum exemplarium fidem recensuit R. F. Ph. Brunck, Argentorati 1785. |
| Burman | *P. Virgilii Maronis opera*, cum integris et emendatioribus commentariis Seruii, Philargyrii, Pierii. Accedunt F. Ursini, G. Fabricii, F. Nansii, Joh. Musonii, T. Fabri et aliorum et praecipue Nic. Heinsii notae nunc primum editae; quibus et suas et in omne opus animaduersiones et uariantes in Seruium lectiones addidit P. Burmannus, post cuius obitum interruptam editionis curam suscepit et adornauit P. Burmannus junior, I–IV, Amstelaedami 1746. |
| Cartault | A. Cartault, *Étude sur les Bucoliques de Virgile*, Paris 1897. |
| Guellius | *P. Virgilius Maro et in eum commentationes*, et paralipomena Germani Valentis Guellii (Germain Vaillant de Guélis), *Eiusdem Virgilii Appendix*, cum Josephi Scaligeri commentariis et castigationibus, Antuerpiae 1575. |
| Haupt | M. Haupt, *P. Vergilius Maro*, Lipsiae 1858. |
| Heinsius | *P. Virgilii Maronis Opera*, Nic. Heinsius Dan. fil. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit, Amstelodami 1676; uide etiam Burman. |
| Heumann | Ch. A. Heumanni *Poecile, siue Epistolae miscellaneae ad litteratissimos aeui nostri uiros*, I–III, Halae 1722–1732. |

| | |
|---|---|
| Heyne | *P. Virgilius Maro*, uarietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Chr. G. Heyne, I–IV, Lipsiae 1767–1775; quartam ed. curauit G. Ph. Wagner, I–IV, Lipsiae–Londinii 1830–1833. [Accedunt Philippi Wagneri *Quaestiones Virgilianae*.] |
| Hofmann | J. B. Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, Heidelberg 1951³. |
| Kirsch | A. Kirsch, *Quaestiones Vergilianae criticae*, Diss. Münster 1886. |
| Klouček | *P. Vergili Maronis Opera*, scholarum in usum edidit W. Klouček, I–II, Lipsiae 1886. |
| La Cerda | *P. Virgilii Maronis Bucolica et Georgica*, argumentis explicationibus et notis illustrata a Ioanne Ludouico de la Cerda Toletano e societate Iesu, Francorum Vadi 1608. |
| Lachmann ad Lucr. | C. Lachmanni *in T. Lucretii Cari De rerum natura libros commentarius*, iterum editus, Berolini 1855. |
| Lachmann ad Prop. | *Sex. Aureli Propertii Carmina*, emendauit ad codicum meliorum fidem et annotauit C. Lachmannus, Lipsiae 1816. |
| Ladewig | *Vergils Gedichte*, erklärt von Th. Ladewig, I–III, Berlin 1850–1853; 6e (10e, 8e) Aufl. von C. Schaper, Berlin 1876–1886; 8e (11e, 9e) Aufl. bearb. von P. Deuticke, Berlin 1891–1907. |
| Lindsay ad Plaut. | *T. Macci Plauti Captiui*, with introduction and notes by W. M. Lindsay, rev. ed., Oxford 1920. |
| Madvig ad Cic. | *M. Tulli Ciceronis De finibus bonorum et malorum*, Io. Nicolaus Madvigius recensuit et enarrauit, Hauniae 1869. |
| Markland ad Stat. | *P. Papinii Statii Siluarum libri quinque*, ex uetustis exemplaribus recensuit et notas atque emendationes adiecit Jer. Marklandus, Londinii 1728. |

| | |
|---|---|
| Peerlkamp | P. Hofman Peerlkamp, *Ad Virgilium*, «Mnemosyne» 10, 1861, 1–49; 113–163; 229–308; 367–388. |
| Perret | *P. Vergilius Maro, Les Bucoliques*, édition, introduction et commentaire de J. Perret, Paris 1961. |
| Pierius | Io. Pierius Valerianus (Giovan Pietro Bolzani), *Castigationes et uarietates Virgilianae lectionis*, Romae 1521. |
| Politianus | Angeli Politiani (Angelo Poliziano), *Miscellaneorum centuria prima*, Florentiae 1489. |
| Ribbeck | *P. Vergili Maronis Opera*, rec. O. Ribbeck, vol. I. *Bucolica et Georgica*, Lipsiae 1859. |
| Sabbadini | *P. Vergili Maronis Opera*, R. Sabbadini recensuit, Romae 1930. |
| Scaliger | Ecloga decima a Ios. Scaligero Dorice reddita, [Lugduni Batauorum 1600] (primo edita ap. Dan. Hensii *Emendationes et notae in Theocriti Idyllia bucolica*, Lugduni Batauorum 1603). |
| Scaliger ad Catull. | *Catulli, Tibulli, Propertii noua editio*, Ios. Scaliger recensuit. Eiusdem in eosdem castigationum liber, Lutetiae 1577. |
| Schrader | Joh. Schraderi schedae manuscriptae, in Vergilium emendationes continentes, quibus Heyne usus est; J. Schrader, *Obseruationum liber*, Franecherae 1761. |
| Stephanus | *Publii Virgilii Maronis Poemata*, nouis scholiis illustrata, quae Henr. Stephanus (Henri Estienne) partim domi nata, partim e uirorum doctissimorum libris excerpta dedit, Secunda editio, [Parisiis] 1583. |
| Timpanaro | S. Timpanaro, *Per la storia della filologia virgiliana antica*, Roma 1986. |
| Wagner | uide Heyne. |
| Wakefield | *P. Virgilii Maronis Opera*, emendabat et notulis illustrabat G. Wakefield, I–II, Londini 1796. |

# CONSPECTVS CODICVM

## CODICES ANTIQVIORES

**M** Mediceus Laurentianus lat. Plut. XXXIX, 1, saec. V ex. (perierunt 1, 1–6, 47)

- **M¹** librarius ipse se corrigens
- **M^A** Turcius Rufius Apronianus Asterius
- **M²** ceteri correctores, ex quibus nullus satis certe Carolinae aetati adsignari potest; dubium an interdum Asterius ipse
- **M^x** librarius ipse uel alia manus
- **M^P** Pomponius Laetus, anno fere 1470, minio corrigens (raro adnotatur, praesertim cum priorem correctionem renouasse uidetur)

**P** Vaticanus Palatinus lat. 1631, saec. V (perierunt 3, 72–4, 51, ubi γ a **P** descendens uicem praestat)

- **P¹** manus priori persimilis, minutis litteris uel in rasura corrigens; dubium an interdum librarius ipse
- **P²** corrector quidam antiquus (qui, fide Sabbadini, codicem etiam distinxit); interdum et aliae manus antiquae uel recentioris aetatis
- **P^x** librarius ipse uel alia manus

**R** Vaticanus lat. 3867 ("Romanus"), saec. VI in. (perierunt 7, 1–10, 9, ubi apographon **a** uicem praestat)

- **R¹** librarius ipse se corrigens
- **R²** corrector aliquis antiquus uel raro recentioris aetatis
- **R^x** librarius ipse uel alia manus

**V** Veronensis XL (38), saec. V, rescriptus (supersunt 3, 27–52; 5, 86–6, 20; 7, 12–37; 8, 19–44)

- **V²** corrector aliquis antiquus

**$\Pi_1$** Pap. Strasb. lat. 2, saec. IV (fragmentum 5, 17–34 continens)

## CODICES SAEC. IX–X

**a** Bernensis 172 (desunt 1, 1–47), apographon codicis **R**, cuius in locum succedit si ille deficit
**b** Bernensis 165
**c** Bernensis 184
**d** Bernensis 255
**e** Bernensis 167
**f** Oxoniensis Bodl. auct. F. 2. 8. (desunt 1, 1–55)
**g** Parisinus lat. 7925
**h** Valentianensis 407 (389)
**i** Reginensis lat. 1669
**k** Hamburgensis scrin. 52
**l** Vaticanus lat. 3252
**r** Parisinus lat. 7926
**s** Parisinus lat. 7928 (desunt 1, 1 – 6, 74)
**t** Parisinus lat. 13043 (desunt 1, 1 – 8, 11)
**v** Vaticanus lat. 1570 (desunt 1, 1–58)
**x** Montepessulanus H 253 (desunt 1, 1–67)
**y** Parisinus lat. 10307
**z** Parisinus lat. 7927
$\varphi_1$ Valentianensis 178 (170) (fragmentum 6, 46 – 7, 44 continens)
**a**$^2$, **b**$^2$, **c**$^2$ etc. correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis (perraro laudantur)
**Φ** consensus horum omnium, uel quotquot non separatim nominantur

γ Guelferbytanus Gudianus lat. 2° 70, quadam adfinitate coniunctus cum codice **P**, cuius in locum succedit si ille deficit
$\gamma^1$, $\gamma^2$ correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis

## CODICES LONGOBARDICI SAEC. X–XI

**n** Neapolitanus Vind. lat. 6
**o** Oxoniensis Canon. Class. 50 (desunt 5, 53 – 6, 43)
**δ** Parisinus lat. 10308
**ε** Vaticanus lat. 1573 (desunt 1, 1–42)

η Reginensis lat. 2090 (desunt 1, 1 – 7, 62)
*ν* Neapolitanus Vind. lat. 5 (supersunt 8, 44 – 10, 20)
**n**², **o**² etc. correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis (perraro laudantur)
Λ consensus horum omnium, uel quotquot non separatim nominantur

ω consesus ΦΛ, uel quotquot horum codicum non separatim nominantur

*cod. Auson.* Ausonensis 197, saec. XI (passim laudatur)
*recc.* codices recentiores, ab Heinsio, Heyne, Ribbeck aliisue laudati

# ECLOGA I

## MELIBOEVS TITYRVS

MELIBOEVS

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
siluestrem tenui Musam meditaris auena.
nos patriae finis et dulcia linquimus arua:
nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida siluas.

TITYRVS

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit:
namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
ille meas errare boues, ut cernis, et ipsum
ludere quae uellem calamo permisit agresti.

MELIBOEVS

Non equidem inuideo, miror magis: undique totis
usque adeo turbatur agris. En ipse capellas
protinus aeger ago! hanc etiam uix, Tityre, duco:
hic inter densas corylos modo namque gemellos,
spem gregis, a! silice in nuda conixa reliquit.
saepe malum hoc nobis, si mens non laeua fuisset,
de caelo tactas memini praedicere quercus.
sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TITYRVS

Vrbem quam dicunt Romam, Meliboee, putaui
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
pastores ouium teneros depellere fetus.

**PR**

**2** siluestrem] agrestem *Quint. 9, 4, 85*, *schol. Bern. u. l.*, *Lib. Gloss. SI 244* (*cf. buc. 6, 8*) **12** turbatur **kyzΛ**, *Quint. 1, 4, 28*, *Cons. 372, 35*, *DSeru. ad Aen. 1, 272*, «*uera lectio*» *iudice Seru.*: turbamur **PRΦγ**, *agnoscit Seru.* **13** protinus **PRω**, *Non. 377, 27*: protenus **bdkrxnγ**, *Seru.*, *schol. Bern.* (*cf. GLK VII, 100, 5*) **17** *post hunc u.* saepe sinistra caua dicebat (pr⟨a⟩edixit **o?**$\gamma^1$) ab ilice cornix exhibent **Λ**$\gamma^1$ (*cf. buc. 9, 15*)

sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
noram, sic paruis componere magna solebam.
uerum haec tantum alias inter caput extulit urbes
quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

MELIBOEVS

Et quae tanta fuit Romam tibi causa uidendi?

TITYRVS

Libertas, quae sera tamen respexit inertem,
candidior postquam tondenti barba cadebat,
respexit tamen et longo post tempore uenit,
postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
nec spes libertatis erat nec cura peculi.
quamuis multa meis exiret uictima saeptis,
pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
non umquam grauis aere domum mihi dextra redibat.

MELIBOEVS

Mirabar quid maesta deos, Amarylli, uocares,
cui pendere sua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus,
ipsi te fontes, ipsa haec arbusta uocabant.

TITYRVS

Quid facerem? neque seruitio me exire licebat
nec tam praesentis alibi cognoscere diuos.
hic illum uidi iuuenem, Meliboee, quotannis
bis senos cui nostra dies altaria fumant.
hoc mihi responsum primus dedit ille petenti:
'pascite ut ante boues, pueri; summittite tauros.'

MELIBOEVS

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,
et tibi magna satis, quamuis lapis omnia nudus

**PR**

**37** poma] mala **Rn?oγ?** (*corr.* **R**²) **38** pinus] nobis **P** (*corr.* **P**²); *cf. u. 18* **44** hoc *Wakefield*: hic *codd.*, *Quint. 9, 3, 51. Cum prior* hic (*u. 42*) *ad* alibi (*u. 41*) *respondeat, nihil momenti habet ubi responsum datum sit*; hoc *uero* δεικτικῶς *u. 45 praenuntiat* (*cf. Aen. 6, 672*; *7, 102*; *9, 635*) **45** pueri et **γ**¹, *Non. 390, 7*

limosoque palus obducat pascua iunco.
non insueta grauis temptabunt pabula fetas,
nec mala uicini pecoris contagia laedent.
fortunate senex, hic inter flumina nota
et fontis sacros frigus captabis opacum;
hinc tibi quae semper uicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti
saepe leui somnum suadebit inire susurro;
hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,
nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes
nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

TITYRVS

Ante leues ergo pascentur in aequore cerui
et freta destituent nudos in litore piscis,
ante pererratis amborum finibus exul
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
quam nostro illius labantur pectore uultus.

MELIBOEVS

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,

**PR**

**48** limosque **P** (*corr.* **P**$^2$): limosoue **n** obducet ε, *Non. 360, 35* **53** quae semper] *intellige*: ‘*eadem saepes quae fuit semper*’ (*cf. u. 51* flumina nota *et buc. 6, 15* ‘*inflatum…, ut semper, Iaccho*’); *post* semper *dist.* **P**$^2$ **54** florem] rorem *schol. Bern. u. l.* **59** pascuntur **P** aequore *ps. Probus* (*cod. Vat. lat. 2930*), *recc.* (*cf. Archil. frg. 122, 7 sq. West* μηδ’ ἐὰν δελφῖσι θῆρες ἀνταμείψωνται νομὸν / ἐνάλιον; *Hdt. 5, 92, 1*; *Ruf. A. P. 5, 18, 5 sq.*; *Hor. epod. 16, 84*; *carm. 1, 2, 11*; *ars 30*; *Ou. met. 14, 37*; *Nemes. 1, 75*): aethere *codd.*, *Hier. in Hierem. 4, 4* (*178*), *Probus 149, 3*, *ps. Probus* (*cett. codd.*), *Expl.*, *Prisc. 14, 4. Permutant et animalia et homines loca propria*: in aequore *et* in litore (*u. 60*) *inter se congruunt, ut* Ararim *et* Tigrim (*u. 62*). *Mendum ex u. 58* (aeria) *ortum esse suspicor* **62** ararim **Rωγ**, *Expl.*; *accusatiuum in* ‘*-im*’ *testatur Prisc. 5, 150*: ararem **P** **63** labantur **P**$^2$: labatur **PRΦεγ**, *Hier. in Hierem. 4, 4* (*178*), *Expl., schol. Bern.*: labetur **Λ**; *plur.* uultus *non tantum os, sed totam faciem dei similem significat*: *cf. Aen. 4, 4* ‘*haerent infixi pectore uultus*’

pars Scythiam et rapidum cretae ueniemus Oaxen
et penitus toto diuisos orbe Britannos.
en umquam patrios longo post tempore finis
pauperis et tuguri congestum caespite culmen
post aliquot, mea regna uidens, mirabor aristas?
impius haec tam culta noualia miles habebit,
barbarus has segetes. en quo discordia ciuis
perduxit miseros? his nos conseuimus agros!
insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine uites.
ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
non ego uos posthac uiridi proiectus in antro
dumosa pendere procul de rupe uidebo,
carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
florentem cytisum et salices carpetis amaras.

**PR**

**65** «rapidum cretae ... Oaxen: *hoc est lutosum, quod rapit cretam*» *bene interpr. Expl.*: Cretae *ut insulae nomen accipi posse indicat Seru. ad buc. 2, 24* Oaxen (*uel* Oaxem) *codd.*, *Macrob. 4, 3, 9*, *Expl.*: ad Oxum *Ladewig*: Araxen *quidam apud Heyne, cl. Aen. 8, 728, Claud. bell. Gild. 31. Flumen Asiae intelligendum, quod fortasse ad exemplum aliorum nominum* (*Araxes, Oaxos, Oxus, lacus Oaxus*; *cf. Plin. NH 6, 48*) *formauit Vergilius*; *uide W.F.J. Knight*, «*CR*» *51, 1937, 212 sq.* **69** *ante hunc u. lacunam statuit Hauet* («*Rev. Philol.*» *38, 1914, 32*) post aliquot ... aristas *bene iungunt Seru. in praef. buc.*, *Expl.*, *schol. Bern.*; *Vergilius poetice nouauit quod erat usitatius, 'post aliquot annos'* (*cf. Sen. Tro. 76, 547 sq. 'post hiemes decem / totidemque messes'*): post aliquot ... aristas *locum, haud tempus, significare opinatus est Guellius, cl. buc. 3, 20 'tu post carecta latebas'*: post *aduerbialiter* (*quasi 'posthac'*) *accepit La Cerda, ut* aliquot aristas *ex* mirabor *pendeat* post aliquot] a! aliquot *Courtney* («*WJA*» *N.F. 33, 2009, 81*) **71–72** *expunxit* **P**$^2$, *haud inepte* **71** en] *particula admirationem quaestioni insitam significat*; *cf. Aen. 4, 534 'en, quid ago?'*; *6, 346*; *Sil. 7, 106. Vide F. Hand, Tursellinus, Lipsiae 1829–1845, II, 369*; *ThlL V.2, 543, 74 sqq.*; *549, 6 sqq.* **72** perduxit **bdgklvxyzΛγ**$^1$: produxit **PRacefhirtγ**, *schol. Bern.*, *Lib. Gloss. PR 1943*: seduxit *gloss. codd.* rx. *Hic 'perducere' ualet 'usque ad extremum finem adigere'*; *'producere' proprie est 'extendere, longius trahere'* his nos **PRabγ**: en quis **ω**, *schol. Bern.* (en quos **dl**), *scil. ex u. 71* consueuimus **Rahkn** (*corr.* **R**$^x$) agris **Rarγ** (*corr.* **γ**$^1$) **73** *Tityro tribuunt* **R**$^2$**οδεγ** **74** felix quondam **Rabcegilrzδε** (*cf. Val. Fl. 2, 473*): quondam felix **Pdfhkvxynoγ** **75** protectus **P** (*corr.* **P**$^x$)

TITYRVS

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
fronde super uiridi: sunt nobis mitia poma,
castaneae molles et pressi copia lactis.
et iam summa procul uillarum culmina fumant
maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

**PR**

**79** hic] hinc **Pe²** (*corr.* **Pˣ**) hanc **PRabdrno**, *Arus. 505, 25*: hac **Pˣωγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 2, 7, 19* poteris **dn²**, *Arus., ps. Acro* noctem **PRabdrγ**, *Arus.*: nocte **Pˣωγ¹**, *ps. Acro* **83** de] a **P** (*corr.* **P²**)

# ECLOGA II

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
delicias domini, nec qui speraret habebat.
tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
adsidue ueniebat. ibi haec incondita solus
montibus et siluis studio iactabat inani:
　‘O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
nil nostri miserere? mori me denique coges.
nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
nunc uiridis etiam occultant spineta lacertos,
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
alia serpyllumque herbas contundit olentis.
at mecum raucis, tua dum uestigia lustro,
sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
nonne fuit satius tristis Amaryllidos iras
atque superba pati fastidia? nonne Menalcan,
quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses?
o formose puer, nimium ne crede colori:
alba ligustra cadunt, uaccinia nigra leguntur.
　Despectus tibi sum, nec qui sim quaeris, Alexi,

**PR**

**1** corydon pastor **Ra** alexim **P** **2** ne **hi$\gamma$** (*corr.* $\gamma^1$) qui *Gratwick* («*CR*» *n.s. 23, 1973, 10*), *cl. Plaut. Poen. 276*; *1208* ‘*id ego … qui sperem hau scio*’: quid *codd., Seru., Expl., schol. Bern.*: quod *Brunck* **7** coges **Raf** (*cf. Theocr. 3, 9* ἀπάγξασθαί με ποησεῖς): cogis **P$\omega\gamma$**, *Anth. Lat. 15, 58. Bene Wagner*: ‘*non quidem nunc cogis, sed, si ita pergis, coges*’ (*cf. Plaut. Merc. 72sq.*) **9** lacertos **P$^2$R$\omega\gamma$**, *schol. Iuu. 3, 231*, *Expl.* (*cf. georg. 4, 13*): lacertas **P** **12** at **$\omega\gamma$**, *Non. 335, 32*: ac **R$^x$a** (ag **R**): ad **P**; at mecum *et* ad me cum *agnoscit Seru., qui tamen* at *recte praefert* («*melius est, ut* at *coniunctio sit*»): *nam* ‘*resonare*’ *cum ablatiuo sine praepositione componitur* (*cf. georg. 2, 328* ‘*auia tum resonant auibus uirgulta canoris*’; *georg. 1, 486*; *Aen. 3, 432*) dum] nunc **P** (*corr.* **P$^2$**) **14** amaryllidos **P$^x$** (-us **P**): amaryllidis **R$\omega\gamma$**; *utrumque agnoscunt schol. Bern.* **15** menalcam **R** **19** quis **cfk$\gamma^1$**, *sed cf. buc. 1, 18*; *georg. 4, 537*; *Aen. 3, 608*

quam diues pecoris, niuei quam lactis abundans.
mille meae Siculis errant in montibus agnae:
lac mihi non aestate nouum, non frigore defit.
canto quae solitus, si quando armenta uocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
nec sum adeo informis: nuper me in litore uidi,
cum placidum uentis staret mare; non ego Daphnin
iudice te metuam, si numquam fallit imago.
    O tantum libeat mecum tibi sordida rura
atque humilis habitare casas et figere ceruos,
haedorumque gregem uiridi compellere hibisco!
mecum una in siluis imitabere Pana canendo:
Pan primus calamos cera coniungere pluris
instituit, Pan curat ouis ouiumque magistros.
nec te paeniteat calamo triuisse labellum:
haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
est mihi disparibus septem compacta cicutis
fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
et dixit moriens: “te nunc habet ista secundum”;
dixit Damoetas, inuidit stultus Amyntas.
praeterea duo, nec tuta mihi ualle reperti,
capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
bina die siccant ouis ubera: quos tibi seruo.

**PR**

**20** *post* pecoris *dist.* «*multi*» *ap. Seru.* (*qui recte* niuei *cum* lactis *iungunt, Homericum exemplum afferentes,* καὶ γάλα λευκὸν): *post* niuei *dist.* **P**$^2$, «*melius*» *iudice Seru.*; *utramque distinctionem agnoscunt schol. Bern.* **22** lac **Rωγ**, *Gramm.*: lact **P**; «*scire autem debes quod hodie illud sequimur, quod dixit Vergilius, ‘lac’, et remansit illa consuetudo*» *Pomp. 199, 18–19. Vide Neue-Wagener, I*$^3$*, 238 sqq.* desit **defz** **24** actaeo *prob. Seru.* **27** fallit **Pc**, *Expl.*: fallat **P**$^2$**Rωγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 27, 40*, *Seru.*, *schol. Bern.*: fallet **bf** **32–33** *interpolationem suspicans eiecit Ribbeck, cl. buc. 8, 24. Possis etiam alios locos Vergilii conferre* (*buc. 3, 25 sq., 3, 101 et 5, 29 sq.*), *sed haec amplificatio necessaria uidetur ad uim perorationis augendam* (*cf. u. 60 sq. et buc. 10, 16 sqq.*) **32** primus **Φεγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 4, 12, 10*, *Seru. ad buc. 3, 25*, *Isid. 3, 21, 8* (*cf. georg. 1, 147 sq. ‘prima Ceres ferro mortalis uertere terram / instituit’*): primum **PRaΛ** **41** albo **P**$^2$**beikrxyΛγ**, *Seru.*, *DSeru. ad georg. 3, 56*, *schol. Bern.*: ambo **RΦo** **42** quod **R**

iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
ecce ferunt Nymphae calathis; tibi candida Nais,
pallentis uiolas et summa papauera carpens,
narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
tum casia atque aliis intexens suauibus herbis
mollia luteola pingit uaccinia calta.
ipse ego cana legam tenera lanugine mala
castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
addam cerea pruna (honos erit huic quoque pomo),
et uos, o lauri, carpam et te, proxima myrte,
sic positae quoniam suauis miscetis odores.
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis,
nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
heu heu, quid uolui misero mihi? floribus Austrum
perditus et liquidis immisi fontibus apros.
quem fugis, a, demens? habitarunt di quoque siluas
Dardaniusque Paris. Pallas quas condidit arces
ipsa colat; nobis placeant ante omnia siluae.
torua leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
florentem cytisum sequitur lasciua capella,
te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque uoluptas.
aspice, aratra iugo referunt suspensa iuuenci,
et sol crescentis decedens duplicat umbras;
me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?
A, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit?
semiputata tibi frondosa uitis in ulmo est:

**PR**

**49** tunc **rγ** **53** et honos *recc.*, *Haupt*: nam honos *Ribbeck*. *Hiatus seruandus ut in Aen. 1, 405 'patuit dea. Ille ubi matrem'*; *Ou. met. 5, 625* **56–57** *poetae tribuunt* **R²abcefgvΛγ** **56** es **P$^{x}$ωγ**, *Seru.*: est **PRa**, *CIL 4, 1527* **57** certet **Ra?** concedet **dkrvΛ** **58** heu heu **Raen**: eheu **ωγ** (heheu **Prv**: heeu **ε**): heu **co** **61** quase **P** (*corr.* **P$^{x}$**): quae **Ra** **63–65** *poetae tribuunt* **av** **63** capellas **Ra?** **69–73** *poetae tribuunt* **abevnoε** **69** a] o **Ra?z**, *Rufin. 50, 16* (*cf. Theocr. 11, 72; Iuu. 9, 102*), *sed cf. u. 60 et buc. 6, 47* **70** est *om.* **Pγ** (*add.* **γ¹**)

quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
uiminibus mollique paras detexere iunco?
inuenies alium, si te hic fastidit, Alexin.'

**PR**

**73** fastidiat **P** (*corr.* **P**[x]): fastidat **Ra** alexin **kyoδ**, *Seru.*, *Expl.*: alexim **PRan**: alexis **P**[2]**ωγ**, *schol. Bemb. ad Ter. Eun. 56*, *Sac. 457, 20. Potior accusatiuus, cf. Theocr. 11, 76* εὑρησεῖς Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν

# ECLOGA III

## MENALCAS DAMOETAS PALAEMON

MENALCAS

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

DAMOETAS

Non, uerum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.

MENALCAS

Infelix o semper, oues, pecus! ipse Neaeram
dum fouet ac ne me sibi praeferat illa ueretur,
hic alienus ouis custos bis mulget in hora,
et sucus pecori et lac subducitur agnis.

DAMOETAS

Parcius ista uiris tamen obicienda memento:
nouimus et qui te, transuersa tuentibus hircis,
et quo — sed faciles Nymphae risere — sacello…

MENALCAS

Tum, credo, cum me arbustum uidere Miconis
atque mala uitis incidere falce nouellas.

DAMOETAS

Aut hic ad ueteres fagos cum Daphnidos arcum
fregisti et calamos: quae tu, peruerse Menalca,
et cum uidisti puero donata, dolebas,

**PR**

**3** ouis **P**$^{1}$ωγ (uis **P**) **4** ille **R** **6** lac **P**$^{x}$**R**: lact **P**; *cf. buc. 2, 22* **7** *post* ista *dist.* **P**$^{2}$; «parcius *melius hic distinguitur: licet possit dici etiam* parcius ista» *Seru.* **8** hircis **P**$^{x}$**R**ωγ, *Quint. 9, 3, 59*, *Probus 250, 25*, *Rufin. 40, 14*, *Macrob. 4, 6, 21*, *Seru.*: hirquis «*alii*» *ap. Seru.*, *Lib. Gloss. HI 167* (hircuis **P**); *cf. georg. 3, 312.* «‘*hirqui*’ *autem sunt oculorum anguli secundum Suetonium Tranquillum in uitiis corporalibus* [*Suet. frg. 171 Reiff.*]» *Seru.*; *hic tamen capri significantur, cf. Theocr. 5, 41 sq.* **10–11** «*iste quasi sub sua persona alteri obicit crimen*» *Seruii cod. R* (*sic etiam schol. Vergilii cod.* i). *Nam* me (*u. 10*) *Menalcas* εἰρωνικῶς *dicit, quasi Damoetae haec exprobrans:* ‘*mene uidere Nymphae an potius te, qui uites Miconis secabas?*’ **12** daphnidos *Probus 228, 23*: daphnidis *codd.*

et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS

Quid domini faciant, audent cum talia fures?
non ego te uidi Damonis, pessime, caprum
excipere insidiis multum latrante Lycisca?
et cum clamarem ‘quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus’, tu post carecta latebas.

DAMOETAS

An mihi cantando uictus non redderet ille,
quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.

MENALCAS

Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
iuncta fuit? non tu in triuiis, indocte, solebas
stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMOETAS

Vis ergo inter nos quid possit uterque uicissim
experiamur? ego hanc uitulam (ne forte recuses,
bis uenit ad mulctram, binos alit ubere fetus)
depono; tu dic mecum quo pignore certes.

MENALCAS

De grege non ausim quicquam deponere tecum:
est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca,
bisque die numerant ambo pecus, altera et haedos.
uerum, id quod multo tute ipse fatebere maius,
insanire libet quoniam tibi, pocula ponam
fagina, caelatum diuini opus Alcimedontis,

**PR** **27** *inchoat* **V**

**16** facient **ervεγ**$^{1}$ **20** post] sub *GLK V, 573, 2* **25** aut] haud **cghvx** (haut **eε**, *Expl.*): *om.* **n** **26** iuncta **ε**, *Rufin. 42, 3 et 61, 30*, *Seru.*, *schol. Bern. u. l.*: uincta **PRωγ**, *Seru.* (*codd. HR*), *Prisc. 8, 47*, *schol. Bern.*; *cf. buc. 2, 32* ‘*calamos cera coniungere*’ **27** stipula miserum **V** (*corr.* **V**$^{2}$) **31** certas **c** **34** altera «*quidam*» *ap. schol. Bern.*, *ut uid.* («*quidam synaloepham putant*»), *Schrader*; *nam est in prouerbio nouercarum tristitia*: alter *codd.*, *schol. Ver.* («*alteruter etiam haedos*»), *Seru.* («alter *de nouerca intellegamus, nec nos moueat, quod* ‘*alter*’ *dixit de femina*», *quod mihi uix credibile uidetur*)

lenta quibus torno facili superaddita uitis
diffusos hedera uestit pallente corymbos.
in medio duo signa, Conon et — quis fuit alter,
descripsit radio totum qui gentibus orbem,
tempora quae messor, quae curuus arator haberet?
necdum illis labra admoui, sed condita seruo.

DAMOETAS

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit
et molli circum est ansas amplexus acantho,
Orpheaque in medio posuit siluasque sequentis:
necdum illis labra admoui, sed condita seruo.
si ad uitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.

MENALCAS

Numquam hodie effugies; ueniam quocumque uocaris.
audiat haec tantum uel qui uenit: ecce Palaemon.
efficiam posthac ne quemquam uoce lacessas.

DAMOETAS

Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla,
nec quemquam fugio: tantum, uicine Palaemon,
sensibus haec imis (res est non parua) reponas.

PALAEMON

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.
et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
nunc frondent siluae, nunc formosissimus annus.

**PRV** **52** *desinit* **V**

**38** facili **ikzΛγ**$^{1}$, *schol. Ver.* (*ut uid.*), *Seru. ad Aen. 6, 137*, *agnoscit Seru. hic* («*legitur tamen et* torno facili *ad excludenda duo epitheta, quod est in latinitate uitiosum, si sit* ‘*lenta facilis uitis*’») *et ad Aen. 2, 392*: facilis **VΦnγ** (faclis **P**, factis **P**$^{x}$), *Donatus ap. Seru.*: fragilis **Ra**. *Vide Timpanaro 151–153.* ‘*Facilis*’ *hic* ‘*agilis*, *mobilis*’ *ualet* (*ThlL VI.1, 60, 72*) **39** haedera **R**: edera **PV** (*corr.* **V**$^{2}$), «*sine aspiratione dici debet*» *Expl.* **48** spectas] spectes **bd** **50** qui *dist.* **P**$^{2}$; «uel qui *quasi requirentis est, cum subito Palaemon adueniat. Alii distinguunt* uel qui uenit» *Seru.*; «*mora adhibenda ante* uel» *schol. Ver. Intellige*: ‘*haec audiat, si uis, hic homo qui uenit*’ (*uide OLD s.u.* ‘*uel*’, *1*, *et cf. Plaut. Amph. 917* ‘*uel hunc rogato Sosiam*’; *Theocr. 5, 63–65* ἀλλὰ τὸν ἄνδρα, αἰ λῇς, τὸν δρυτόμον βωστρήσομες [...]· ἔστι δὲ Μόρσων) **51** nec **Pγ** lacesses **Λ** **55** in *om.* **nδ**

incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
alternis dicetis : amant alterna Camenae.

DAMOETAS

Ab Ioue principium Musae, Iouis omnia plena :
ille colit terras, illi mea carmina curae.

MENALCAS

Et me Phoebus amat : Phoebo sua semper apud me
munera sunt, lauri et suaue rubens hyacinthus.

DAMOETAS

Malo me Galatea petit, lasciua puella,
et fugit ad salices et se cupit ante uideri.

MENALCAS

At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,
notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

DAMOETAS

Parta meae Veneri sunt munera: namque notaui
ipse locum aëriae quo congessere palumbes.

MENALCAS

Quod potui, puero siluestri ex arbore lecta
aurea mala decem misi; cras altera mittam.

DAMOETAS

O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
partem aliquam, uenti, diuum referatis ad auris!

MENALCAS

Quid prodest quod me ipse animo non spernis, Amynta,
si, dum tu sectaris apros, ego retia seruo?

**PR** **71** *desinit* **P** (*subditur* **γ**)

**59** *Damoetae tribuit* **P**[1] (*corr.* **P**[2]) **60** Musae *genitiuo uel uocatiuo casu interpr. Seru.* (*cf. Arat. Phaen. 1*; *Theocr. 17, 1* Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι; *Cic. Arat. frg. 1* ‘*A Ioue Musarum primordia*’) **66** at **ωγ**, *Don. ad Ter. Eun. 85*, *Phorm. 107*: ad **PRac**, *schol. Bemb. ad Ter. Eun. 85* **69** concessere **b**, *GLK VII, 285, 24*, *Schrader*; «congessere *nidificauere*» *Seru.*; *subaudi* ‘*nidos*’ *ut in Gell. 2, 29, 5* **74** me *om.* **Ra** amyntas **γ**

DAMOETAS

Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;
cum faciam uitula pro frugibus, ipse uenito.

MENALCAS

Phyllida amo ante alias; nam me discedere fleuit,
et longum 'formose, uale, uale,' inquit Iollas.

DAMOETAS

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
arboribus uenti, nobis Amaryllidos irae.

MENALCAS

Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

DAMOETAS

Pollio amat nostram, quamuis est rustica, Musam:
Pierides, uitulam lectori pascite uestro.

MENALCAS

Pollio et ipse facit noua carmina: pascite taurum,
iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.

DAMOETAS

Qui te, Pollio, amat, ueniat quo te quoque gaudet;
mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS

Qui Bauium non odit, amet tua carmina, Maeui,
atque idem iungat uulpes et mulgeat hircos.

**γR**

**77** uitula *GLK V, 643, 33*, *Macrob. 3, 2, 15*, *Seru.*, *schol. Iuu. 9, 117*: uitulam *codd.*, *Non. 313, 31*, *DSeru. ad buc. 5, 75*, *Expl.*, *Prisc. 8, 68*; *16, 4*; *17, 204*; *18, 79* **79** «*sane* '*longum uale*' *ita ait, ut* '*toruum clamat*': *pro aduerbio nomen posuit*» *Seru.*, *sed* longum *cum* inquit *iungendum*, *quasi discessus diutius tardaretur* Iollas *Burman*: iolla *codd.*, *Seru.*, *Expl.*, *schol. Bern.*, *Gramm.*: iollam **n**; *uide quae disserui in* «*MD*» *65, 2010, 137–146* **81** amaryllidos **n** (*cf. buc. 2, 14*): amaryllidis **γRω** **84** est] sit **dhilzΛ** (*praeter* **n**), *Seru.* **88** «quo te quoque gaudet, *subaudis* '*uenisse*'» *Seru.* **89** fluant illi] fluunt riuis *GLK VIII, 48, 1; 85, 8* illi] illis *Hier. in Hierem. 2, 100* (*112*) **90** quid **R** (*corr.* **R**$^{x}$) uauium **R**, *schol. Bemb. ad Ter. Adelph. 701* **91** mulceat **γRa** (*corr.* **γ**$^{1}$)

DAMOETAS

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
frigidus, o pueri — fugite hinc! — latet anguis in herba.

MENALCAS

98 Cogite oues, pueri: si lac praeceperit aestus,
99 ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMOETAS

94 Parcite, oues, nimium procedere: non bene ripae
95 creditur; ipse aries etiam nunc uellera siccat.

MENALCAS

96 Tityre, pascentes a flumine reice capellas ;
97 ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lauabo.

DAMOETAS

100 Heu heu, quom pingui macer est mihi taurus in eruo.
idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

MENALCAS

Hisce arte — neque amor causa est — uix ossibus haerent;
nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

**γR**

**98–99** *post u. 93 transp. Cartault (123 n. 2), qui tamen etiam uu. 94–95 post u. 97 transtulit*; *uide A. Klotz, «NJA», 45, 1920, 150* **98** aestas **Ra** **100** heu heu **Radegδ**, *GLK VIII, 218, 16*; *265, 29* (*cf. buc. 2, 58*; *Theocr. 4, 26; 5, 86*): heu **γr**: eheu **bfhiklxyzε**, *Probus 256, 2*, *Seru. ad Aen. 2, 69*, *Expl.*: heheu **cvno** quom *Havet, «RPh» 38, 1914, 165–168* (‘*eheu, quom*’ *inuenitur etiam in Plaut. Capt. 995*; *Mil. 1358*; *Poen. 791*; *Ter. Andr. 622–623*; *Acc. trag. 346*; *uide Hofmann 14*): quam *codd.* eruo **γcfhiklyzδ**, *GLK VIII*, *218*, *17*, *Seru. ad Aen. 2*, *69*, *Expl.*: aruo **γ$^{1}$Rω**: herba **no** **101** est *post* exitium *add.* **γ$^{1}$Ravo**: *post* pecori *add.* **γbh**: *post* magistro *add.* **cgkrxyznδεγ$^{2}$**, *schol. Bern.*: *om.* **defil**, *GLK VIII, 205, 12* **102** hisce arte *scripsi*: his certe *codd.*, *Expl.*, *Don. ad Ter. Eun. 269* (hisce certe *codd. BMNJY*), *qui tamen adnotat «‘hisce’ pro ‘hi’ uetuste»*: hi certe *Stephanus*. *Vide quae disserui in «MD» 67, 2009, 203–208* neque] nec **nδ**

DAMOETAS

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
tres pateat caeli spatium non amplius ulnas.

MENALCAS

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
nascantur flores, et Phyllida solus habeto.

PALAEMON

Non nostrum inter uos tantas componere lites:
et uitula tu dignus et hic, et quisquis amores
aut metuet dulcis aut experietur amaros.
claudite iam riuos, pueri: sat prata biberunt.

**γR**

**105** Caeli (*nomen alicuius Mantuani*) *testantur Expl.*, *schol. Bern.*, *agnoscit Seru., qui tamen aliorum interpretum ineptias sic bene refellit: «sed neutrum horum conuenit rustico: unde simpliciter intellegendus est cuiuslibet loci puteus, in quem cum quis descenderit, tantum caeli conspicit spatium, quantum putei latitudo permiserit»* **107** nascuntur **bdfgilznε**, *Probus 213, 20*, *schol. Stat. Theb. 4, 223* **108** «non: *hic distinguendum» Seru.* nostrum est **e**$^2$, *Non. 257, 2*, *Tib. ad Aen. 4, 305* **110** metuet] meruit *Radke* («*RhM*» *116, 1973, 143–148*), *alii alia*; *sed nihil mutandum*: *metuitur* γλυκύπικρος *amor quia dulcedine sua amantem in periculum trahit* (*cf. Aen. 4, 298* '*omnia tuta timens*') amaros] amores **r** (amoros **γ**, *corr.* **γ**$^1$: ameros **a**: amares **f**)

# ECLOGA IV

Sicelides Musae, paulo maiora canamus:
non omnis arbusta iuuant humilesque myricae;
si canimus siluas, siluae sint consule dignae.
Vltima Cumaei uenit iam carminis aetas,
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
iam noua progenies caelo demittitur alto.
tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
casta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc aeui, te consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
te duce, si qua manent sceleris uestigia nostri,
inrita perpetua soluent formidine terras.
ille deum uitam accipiet diuisque uidebit
permixtos heroas et ipse uidebitur illis,
pacatumque reget patriis uirtutibus orbem.
Ac tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
errantis hederas passim cum baccare tellus
mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
ipsae lacte domum referent distenta capellae
ubera, nec magnos metuent armenta leones.
23 [ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.]

γ**R**

**4** cum(a)ei **Rafgyzε**: cymaei γω **7** demittitur γω: dimittitur **Radfghil**: promittitur *Fulg. 103, 2* **8** nascenti, puero quo *Flintoff* («*CR*» *23, 1973, 10 sq.*): n. p., quom *Kraggerud* («*SO*» *64, 1989, 110 sqq.*). Quo *ualet* '*quo auctore, cuius inceptis*'; quom *autem prodigiosi pueri uirtutem praeterit* **9** desinit **bg** surgit **bfgr** **18** ac **Ran** (*cf. Aen. 1, 174*): at γω, *Seru.* nulla puer primo **Ra?** **20** fundit γ (*corr.* $\gamma^{1}$), *Macrob. 6, 6, 18* **21** referant γ (*corr.* $\gamma^{1}$) **23** *u. seclusi* («*Rh. Mus.*» *s.p.*), *fortasse ab interpolatore antiquo fictum ad uu. 18–22 imitandos*: *ante u. 21 transp. Klouček* fundet **x**, *suo Marte coniecit Campbell,* «*CR*» *52, 1938, 54–56, uersum 23 ante 21 collocans, ut sit* '*ipsa tellus flores, quasi cunabula, tibi fundet*'

occidet et serpens, et fallax herba ueneni
occidet; Assyrium uulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis
iam legere et quae sit poteris cognoscere uirtus,
molli paulatim flauescet campus arista
incultisque rubens pendebit sentibus uua
et durae quercus sudabunt roscida mella.
pauca tamen suberunt priscae uestigia fraudis,
quae temptare Thetin ratibus, quae cingere muris
oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
alter erit tum Tiphys et altera quae uehat Argo
delectos heroas; erunt etiam altera bella
atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
hinc, ubi iam firmata uirum te fecerit aetas,
cedet et ipse mari uector, nec nautica pinus
mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
non rastros patietur humus, non uinea falcem;
robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.
nec uarios discet mentiri lana colores,
ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
murice, iam croceo mutabit uellera luto;
sponte sua sandyx pascentis uestiet agnos.
'Talia saecla' suis dixerunt 'currite' fusis
concordes stabili fatorum numine Parcae.
adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
cara deum suboles, magnum Iouis incrementum!
aspice conuexo nutantem pondere mundum,

**γR**

**26** at **γω** (ad **c**), *Non. 331, 34*: ac **Raynδ** (hac **f**) parentis **γω**, *Non.*, *Eus. 184, 20*, *Seru.*, *Expl.*: parentum $\gamma^{1}$**Ra** (*cf.* heroum) **28** flauescet $\gamma^{1}$**ω**, *Lact. diu. inst. 7, 24*, *schol. Bern.*: flauescit **γRabf** **32** thetin **Rakxy**: t(h)etim **γω** **33** tellurem infindere sulco **Ra**, *sed cf. Aen. 5, 142* '*infindunt … sulcos*' **44** mutauit **iδ**, *Non. 549, 18* **46** talia saecla] *accusatiuo casu accipiendum, cum* currite *hic* '*percurrite*' (*«uoluite» DSeru.*) *ualeat* (*cf. Aen. 3, 191*; *5, 862*; *Symm. orat. 3, 9*; *Lycophr. Alex. 584 sq.*): *male quidam* talia saecla *uocatiuo casu intellegunt* (*uide P. Corssen, «PhW» 34, 1914, 160, qui etiam* stabili fatorum numine *cum* currite *iungit*)

terrasque tractusque maris caelumque profundum;
aspice uenturo laetantur ut omnia saeclo!
O mihi tum longae maneat pars ultima uitae,
spiritus et quantus sat erit tua dicere facta!
non me carminibus uincat nec Thracius Orpheus
nec Linus, huic mater quamuis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicet se iudice uictum.
Incipe, parue puer, risu cognoscere matrem:
matri longa decem tulerunt fastidia menses.

**γR** **52** *inchoat* **P**

**52** laetantur **Ran** (*cf. buc. 5, 6 sq. et Aen. 6, 855 sq.*; *8, 190–192*): laetentur **Pωγ**, *schol. Bern.* **53** tam *recc., Seru. codd. PR* longe **Pfγ** **54** quantus *ego* («*CQ*» *s.p.*)*, uide D. Kovacs,* «*CQ*» *61, 2011, 314 sq.*: quantum *codd. Hic* ποιότης, *haud* ποσότης, *significatur*: spiritus et quantus *ualet* '*et tam ingens ingenium*'. *Bene explicat Seru.*: «*utinam possim frui uita longissima et habere tantum spiritum, quantus possit sufficere ad tuae uirtutis commemorationem*» (*cf. Aen. 10, 772* '*oculis spatium emensus quantum satis hastae*'; *Liu. 25, 33, 4* '*merces quanta uel pro bello satis esset dabatur*') **55** uincat **P**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Apthon. 66, 29*, *Eus. 186, 15* (ἄν μ' ἐκπλήξειεν; *uide B. Baldwin,* «*AJPh*» *97, 1976, 364*), *cf. Sac. 504, 13* ('*non me carminibus superet nec Phoebi cultor*'): uincet **P**$^2$**Rωγ**. Non … uincat *hic* '*uincere non poterit*' *ualet:* «*tanta est materia tuae laudis, ut etiam humile ingenium in ea supra omnes possit excellere*» *Seru.* (*cf. buc. 2, 26*; *georg. 2, 136 sqq.*; *Prop. 1, 9, 5 sq.* '*non me Chaoniae uincant in amore columbae / dicere*'; *Ou. met. 4, 178 sq.*) **57** orphi **Racnγ**$^1$, *Macrob. 5, 17, 19*, *Prisc. 7, 8 et 14*, *sed cf. georg. 4, 545 et 553*; *uariam lectionem metri causa ortam suspicor* (*cf. Aen. 5, 184*) **58** arcadia mecum] arcadiedicacat **P** (*corr.* **P**$^2$) **59** *om.* **γ** (*add.* **γ**$^1$) arcadiae **Ra** (arcadie **P**, *corr.* **P**$^2$) dicet **P**$^2$**eε**, *Macrob. 5, 14, 6*, *Eus. 186, 17* (ἀνθέξεται): dicat **Rωγ**$^1$ (dicacat **P**), *Rufin. 51, 21*. *Futurum* dicet *difficilius est et significat nullum dubium esse quin poeta praestantior sit etiamsi Pan ipse certatim canat* (*cf. Hor. carm. 3, 3, 7 sq.* '*si fractus inlabatur orbis, / impauidum ferient ruinae*'); *uide A. Ernout-F. Thomas, Syntaxe Latine, Paris 1972*$^2$*, 381* **61** matris **P**$^2$**γ** tulerunt **P**$^2$ (tulerum **P**) **RΦo**, *Don. ad Ter. Eun. 20*, *Probus 259, 8* (*cf. Aen. 2, 774*): tulerant **de**$^2$**ghklzΛ**: tulerint **b**$^2$**k**$^2$**x**$^2$**o**$^2$; «*alii* abstulerint *legunt*» *Seru.*

incipe, parue puer: qui non risere parentes,
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

**PR**

**62** qui *Quint. 9, 3, 8–9* (*«ex illis enim, qui non risere, hic quem non dignata»*), *def. Politianus* (*Misc. 1, 89*): cui *codd.*, *Eus.*, *Seru.*, *schol. Bern.*: quoi *recc.*, *def. Sabbadini. Figura in numero a Quintiliano laudata maxime conuenit huic loco leporis pleno* (*cf. e.g. illa usitata locutio* '*ex eo numero, qui*'). *Nullo modo fieri potest ut rhetor ille clarissimus uitiose reminiscatur Vergiliani uersus, cum de ipsa singulari uerborum conformatione scienter et diligenter disceptet* parentes *codd.*, *Quint.*, *Seru.*, *schol. Bern.*: parenti *Schrader*, *Bonnell ad Quint. 9, 3, 8*. Parentes *accusatiuus est, id quod iam Scaliger ad Catull. 61, 219*, *Lindsay ad Plaut. Capt. 481 et Perret probauerunt: nam* '*ridere aliquem*' *significare potest non solum* '*deridere*', *sed etiam* '*erga aliquem benigne ridere*' (*cf. e.g. Plaut. Capt. 481*; *Catull. 53, 1*; *Cic. opt. gen. 11*; *Ou. ars 1, 87*; *Petron. 61, 4*; *uide OLD s.u.* '*rideo*', *5a*), *quasi puer hic ad parentes sibi ioca facientes adrideat* (*cf. Catull. 61, 216 sqq.*) **63** hunc] hos *Schrader* cubili est **P**$\omega\gamma^1$, *Quint.*, *Don. ad Ter. Phorm. 49*, *Seru. ad Aen. 1, 79*: cubile est **P**$^2$**bfy**$\gamma$: cubilest **R**: cubili **r**

# ECLOGA V

## MENALCAS MOPSVS

MENALCAS

Cur non, Mopse, boni quoniam conuenimus ambo,
tu calamos inflare leuis, ego dicere uersus,
hic corylis mixtas inter considimus ulmos?

MOPSVS

Tu maior: tibi me est aequum parere, Menalca,
siue sub incertas Zephyris motantibus umbras
siue antro potius succedimus. aspice ut antrum
siluestris raris sparsit labrusca racemis.

MENALCAS

Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.

MOPSVS

Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?

MENALCAS

Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignis
aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.
incipe: pascentis seruabit Tityrus haedos.

MOPSVS

Immo haec, in uiridi nuper quae cortice fagi
carmina descripsi et modulans alterna notaui,
experiar: tu deinde iubeto certet Amyntas.

MENALCAS

Lenta salix quantum pallenti cedit oliuae,

**PR**

**3** considimus **cdekΛγ**[1], *def. Heinsius* (*cf. Calp. Sic. 1, 6* ‘*cur non succedimus umbris?*’): consedimus **PRΦογ** (*cf. u. 1* conuenimus; *buc. 3, 55*); «consedimus *pro* considimus» *schol. Bern.* **8** certat **Rω**, *Porph. ad Hor. epod. 11, 18, Seru., Expl.*: certet **Peογ**, *Arus. 459, 2*, *Rufin. 56, 10, ps. Acro ad Hor. sat. 2, 5, 19*, *sed cf. uu. 9 et 15. Si* certat *legis, sensus est*: ‘*solus Amyntas tam insolens est ut non uereatur tecum certare*’ **9** phoebum certet **dilz** **15** iubeto **Pωγ** (*cf. Aen. 10, 53*): iubeto ut **Rabfgxyz**, *sed nullus Bucolicorum uersus in hephtemimere eliditur, uide N.-O. Nilsson, «Eranos» 53, 1955, 199 sq.*

puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
sed tu desine plura, puer: successimus antro.

MOPSVS

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
flebant (uos coryli testes et flumina Nymphis),
cum complexa sui corpus miserabile nati
atque deos atque astra uocat crudelia mater.
non ulli pastos illis egere diebus
frigida, Daphni, boues ad flumina; nulla nec amnem
libauit quadripes nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
interitum montesque feros siluasque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subiungere tigris
instituit, Daphnis thiasos et ducere Bacchi
et foliis lentas intexere mollibus hastas.
uitis ut arboribus decori est, ut uitibus uuae,
ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus aruis,
tu decus omne tuis. postquam te fata tulerunt,
ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
grandia saepe quibus mandauimus hordea sulcis,
infelix lolium et steriles nascuntur auenae;
pro molli uiola, pro purpurea narcisso

**PR** **17–34** $\Pi_1$

**20** daphnim **P**, *euan. in* $\Pi_1$ **25** nec Λ: necque **P**: neque **P**$^2$**R**Φε, *euan. in* $\Pi_1$. ‘*Nec*’ *ante uocalem ponitur etiam in Aen. 2, 430*; *5, 669*; *9, 152 et 428*; *11, 382 et 801*; *12, 207 et 352* (*cf. 6, 2*) **27** gemuisse **Ra** **28** montesque feros siluasque *Markland ad Stat. silu. 2, 5, 13*: m. feri siluaeque **P**$^x$**R**$\Pi_1$ωγ, *Seru. (sed ex interpr. accusatiuos uidetur legisse), schol. Bern.*: m. ferunt siluaesque **P**. *Vna cum animalibus et montes et siluae collacrimant* (*cf. Theocr. 7, 74 sq.*; *Bion 1, 31 sq.*): loquuntur *est impersonaliter dictum, ut in Aen. 1, 731* **29** armenia **Ra** **30** et ducere *scripsi, uide «MD» 67, 2011, 209 sqq.*: inducere *codd.*, *sed post* instituit *superuacaneum est* inducere, *id est* ‘*nouum morem instituere*’: indicere *Heinsius*, *cl. Aen. 11, 737*. Thiasos ducere *proprium est pro* θιάσους ἄγειν (*cf. Eur. Bacch. 115*; *Aen. 6, 517 sq.* ‘*euhantis orgia circum / ducebat Phrygias*’) **38** uiola **P**$^x$ωγ: uiolae **P**: uiola et **Ra** purpurea *Diom. 453, 36* (*cf. Theocr. 1, 33*; *Meleag. 46, 2 G.-P.*): purpureo *codd.*, *DSeru., schol. Bern.*

carduus et spinis surgit paliurus acutis.
spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
pastores (mandat fieri sibi talia Daphnis),
et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
'Daphnis ego in siluis, hinc usque ad sidera notus,
formosi pecoris custos, formosior ipse.'

MENALCAS

Tale tuum nobis carmen, diuine poeta,
quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
dulcis aquae saliente sitim restinguere riuo.
nec calamis solum aequiperas, sed uoce magistrum:
fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
nos tamen haec quocumque modo tibi nostra uicissim
dicemus Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amauit nos quoque Daphnis.

MOPSVS

An quicquam nobis tali sit munere maius?
et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
iam pridem Stimichon laudauit carmina nobis.

**PR**

**39** acutus **fγ** (*corr.* $\gamma^1$) **40** umbras] aras **Ra** **45** nobis carmen **er**, *Probus 233, 32*: carmen nobis **PRωγ**, *cod. Auson.*, *Rufin. 58, 23*, *Prisc. 7, 336*, *sed uide Lachmann ad Prop. 1, 6, 25* («*male uulgo* carmen nobis, *quasi in* nobis *et* fessis *sit expressa anthitesis*»). *Bene* tuum *et* nobis *adiacent, quod habet colorem uiuidae et antiquae locutionis: uide Hofmann 121, et cf. buc. 1, 7 'ille mihi'*; *72 'his nos'*; *75 'ego uos'*; *2, 28 'mecum tibi'*; *3, 17 'ego te'* **46** fessis] lassis **Rano** **49** ab illo] apollo **Ra** **51** *ante u. 50 collocant* **Pγ** (*ord. rest.* $\mathbf{P}^2$) daphnimque **P** **52** daphnim **P** **53** quicquid **γ** (*corr.* $\gamma^1$) munera **Pciγ** (*corr.* $\gamma^1$) **54** ipse] *an* ille*? Alludit enim Mopsus* (*et is quidem puer*) *ad puerum illum diuinum, id est Daphnin* (*cf. buc. 8, 49 'puer improbus ille'*; *10, 61 'deus ille'*). *Confunditur saepe in libris 'ipse' cum 'ille'* (*uide e.g. Aen. 7, 110*; *10, 770*) **55** stimichon $\mathbf{P}^2$**Rωγ**, *Seru., DSeru., schol. Bern.* (stimicho): timichon **P**: istimichon **b**: stimicon **cer**, *Seruii cod. R*, *Expl. I (*stimocon *cod. L,* stonicon *cod. P), Expl. II*; *cf. Calp. Sic. 6, 83*; *7, 9 et 13*: Simichon *Maas, «RhM» 78, 1929, 218 sq., cl. DSeru.* («*nonnulli Stimichonem patrem Theocriti dicunt*») *et schol. Theocr. prol.* (Θεόκριτος ὁ τῶν βουκολικῶν ποιητὴς Συρακούσιος ἦν τὸ γένος, πατρὸς Σιμίχου), *fortasse recte, sed de nominibus bucolicis saepe ambigitur*

MENALCAS

Candidus insuetum miratur limen Olympi
sub pedibusque uidet nubes et sidera Daphnis.
ergo alacris siluas et cetera rura uoluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
nec lupus insidias pecori, nec retia ceruis
ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
ipsi laetitia uoces ad sidera iactant
intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
ipsa sonant arbusta: ‘deus, deus ille, Menalca!’
sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras:
ecce duas tibi, Daphni, duas, altaria, Phoebo.
pocula bina nouo spumantia lacte quotannis
craterasque duo statuam tibi pinguis oliui,
et multo in primis hilarans conuiuia Baccho
(ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra)
uina nouum fundam calathis Ariusia nectar.
cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.
haec tibi semper erunt, et cum sollemnia uota
reddemus Nymphis, et cum lustrabimus agros.
dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

**PR**

**56** lumen *Seru. ad buc. 7, 5* **59** dryadesque **Rar?zo** **61** dolum] modum **R** (*corr.* **R**$^{1}$) **64** ipsa arbusta sonant *recc.*, *DSeru.* **65–75** *Mopso tribuit* **P**$^{1}$ (*corr.* **P**$^{2}$) **66** duas$^{2}$] dus **P** (*corr.* **P**$^{2}$): dua **γ**$^{1}$: duo **defghilrx** altaria] alteri **aγ** (*corr.* **γ**$^{1}$). Altaria *illam ararum partem designant ubi superis sacrificabatur* (*uide Seruii explicationem et ThlL I, 1725, 61*); *ideoque uerbo* aras (*u. 65*) *apponitur* altaria, *ut duae arae deo superno, id est Apollini, dicari indicentur* (*cf. Aen. 9, 85 sq.* ‘*pinea silua … lucus*’ *et quae Conte adnotauit ad loc.*) **68** duos **a**$^{2}$**fghixΛ**, *schol. Bern.*, *Lib. Gloss. CR 38*: duas **del**, *sed cf. Aen. 11, 285* (‘*duo … uiros*’); -o *ante* st- *producitur, uide O. Skutsch, The Annals of Q. Ennius, Oxford 1985, 57* **72** lycius **fikzε**, *sed bene Aen. 3, 401* (‘*Lyctius Idomeneus*’) *comparat Seru.* **77** pascuntur **nγ**

ut Baccho Cererique, tibi sic uota quotannis
agricolae facient: damnabis tu quoque uotis.

MOPSVS

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
nam neque me tantum uenientis sibilus Austri
nec percussa iuuant fluctu tam litora, nec quae
saxosas inter decurrunt flumina uallis.

MENALCAS

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta;
haec nos 'formosum Corydon ardebat Alexin',
haec eadem docuit 'cuium pecus? an Meliboei?'

MOPSVS

At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
non tulit Antigenes (et erat tum dignus amari),
formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

**PR** **86** *inchoat* **V**

**80** uoti **Ra?**, *def. Heinsius*; *sed melior est numerus pluralis* (*ut in u. 79* uota) *et casus ablatiuus, cum* '*damnare*' *quasi* '*obligare*' *hic ualeat* (*cf. Germ. Arat. 348* '*uotis damnatus*') **85** donauimus **R**$^{x}$**abefglnδ**, *sed* ante *ad tempum futurum alludit* («*bene anticipat et offert munus, quod ille se facturum esse promiserat*» *Seru.*) ante] ecce *Schrader* **86** alexim **RV** **89** tum] nunc **P**: tunc **P**$^{2}$**b**

# ECLOGA VI

Prima Syracosio dignata est ludere uersu
nostra nec erubuit siluas habitare Thalea.
cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
uellit et admonuit: ‘pastorem, Tityre, pinguis
pascere oportet ouis, deductum dicere carmen.’
nunc ego (namque super tibi erunt qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
agrestem tenui meditabor harundine Musam:
non iniussa cano. si quis tamen haec quoque, si quis
captus amore leget, te nostrae, Vare, myricae,
te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est
quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasyllos in antro
Silenum pueri somno uidere iacentem,
inflatum hesterno uenas, ut semper, Iaccho;
serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant
et grauis attrita pendebat cantharus ansa.
adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
luserat) iniciunt ipsis ex uincula sertis.
addit se sociam timidisque superuenit Aegle,

**PRV** 20 *desinit* **V**

**1** syracusio **ω** (*praeter* **ab**) **γ**; «Syracosio *autem graece ait: nam latine* ‘*Syracusanus*’ *dicimus*» *Seru.* **2** nec **RVafg**, *imitatus est Stat. silu. 3, 3, 58* (‘*nec erubuit famulantis fistula Phoebi*’): neque **Pωγ**, *schol. Bern. Fortasse* nec *propter euphoniam scripsit; uide quae adnotaui ad buc. 5, 25* siluis **Ra** thalea **PRVa**, *schol. Ver.*: thalia **ωγ**; «Thalia … *graece ait: nam latine* Thalea *debuit dicere, sicut* Κυθέρεια *Cytherea; sed propter euphoniam contempsit ius regulae et ideo in graecitate permansit*» *Seru.* **5** diductum **P** (*sed uide Macrob. 6, 4, 12, Seruii adnotationem et schol. Ver.*) **10** legat **dlz**, *Prisc. 18, 87* nostrae te **n** **11** ulla est **PR**: ullast **V** **12** perscripsit **bfgγ** **13** mnasyllos **P**: mnasyllus **Raγ** (mnass- **γ**): manasylos **V**: mnasylos **P**$^{x}$**V**$^{2}$: mnasylus **γ**$^{1}$; *hoc Graecum nomen syllaba* -os *terminari testatur Probus 226, 15* **16** procul] *haud* ‘*longe posita*’ *sed* ‘*a capite disiuncta*’ *hic ualet*; «*nam intulit* tantum capiti delapsa, *ut ostenderet non longius prouolutam coronam*» *Seru.* iacebat **Pb** **18** ambos **erε**; «ambo *pro* ambos» *schol. Bern.*

Aegle Naiadum pulcherrima, iamque uidenti
sanguineis frontem moris et tempora pingit.
ille dolum ridens 'quo uincula nectitis?' inquit;
'soluite me, pueri; satis est potuisse uideri.
carmina quae uultis cognoscite; carmina uobis,
huic aliud mercedis erit.' simul incipit ipse.
tum uero in numerum Faunosque ferasque uideres
ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
  Namque canebat uti magnum per inane coacta
semina terrarumque animaeque marisque fuissent
et liquidi simul ignis; ut his ex omnia primis,
omnia et ipse tener mundi concreuerit orbis;
tum durare solum et discludere Nerea ponto
coeperit et rerum paulatim sumere formas;
iamque nouum terrae stupeant lucescere solem
altius atque cadant summotis nubibus imbres,

**PR**

**21** namque **P** (*corr.* **P**[x]) **23** inridens **P**[2]; «ridens '*inridens*'» *DSeru.* **24** *sensum bene explicat Seru.*: «'*soluite me; sufficit enim, quod talis uobis uisus sum, ut etiam ligari possim*'» **27** uideris **Pcr** **30** mirantur **Radeilnδ**, *Rufin. 48, 5*, *def. Heinsius*: miratur **Pωγ**. *Schema quod dicitur Alcmanicum* (*cf. Hom. Il. 5, 774*; *20, 138*; *Od. 10, 513*; *14, 216*; *uide R. Sabbadini, «Studi Virgiliani», Mantova 1930, 164 sq.*) *poeta secutus est in hoc uersu, qui uidetur graecissare* **33** ex omnia **P** (*suo Marte coniecit Peerlkamp*), *schol. Bern. u. l.*: exordia **Rωγ**, *Macrob. 6, 2, 22*, *DSeru.*, *schol. Bern. Etiamsi* exordia *uerbum est a Lucretio saepe usurpatum, nihilominus* omnia *ex illius carmine uidetur prorsus pendere* (*cf. Lucr. 1, 61* '*ex illis sunt omnia primis*'): *hanc enim imitationem confirmant et uerborum ordo* (*cf. Lucr. 2, 731 sq.*) *et ipsa syntactica epanalexis* (*cf. Lucr. 2, 159 sq.*; *2, 955 sq.*; *3, 11 sq.*; *5, 298 sq.*; *5, 950 sq.*; *5, 1189 sq.*; *6, 528 sq.* '*omnia … omnia*') **34** omnisa **P** (*corr.* **P**[x]): omnis *probb. Kirsch, Sabbadini* **38** altius] *cum superioribus iungendum* (*cf. Lucr. 5, 432 sq.* '*solis rota … altiuolans*'; *5, 446* '*a terris altum secernere caelum*'): *cum inferioribus iungit Seru.* («*quemadmodum cadant imbres nubibus in altum leuatis*»); *sed nusquam* atque *postponitur in Vergilio. Adde huc quod etiam in uu. 35 sq. ultra hexametri mensuram extenditur enuntiatum* utque **Raf** nubibus] signibus (*scil. ex* ignibus) **Ra**

incipiant siluae cum primum surgere cumque
rara per ignaros errent animalia montis.
    Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert uolucris furtumque Promethei.
his adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
clamassent, ut litus 'Hyla, Hyla' omne sonaret;
et fortunatam, si numquam armenta fuissent,
Pasiphaen niuei solatur amore iuuenci.
a, uirgo infelix, quae te dementia cepit?
Proetides implerunt falsis mugitibus agros,
at non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est
concubitus, quamuis collo timuisset aratrum
et saepe in leui quaesisset cornua fronte.
a, uirgo infelix, tu nunc in montibus erras:
ille latus niueum molli fultus hyacintho
ilice sub nigra pallentis ruminat herbas
aut aliquam in magno sequitur grege. 'claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,
si qua forte ferant oculis sese obuia nostris
errabunda bouis uestigia; forsitan illum
aut herba captum uiridi aut armenta secutum
perducant aliquae stabula ad Gortynia uaccae.'
    Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;
tum Phaethontiadas musco circumdat amarae
corticis atque solo proceras erigit alnos.

**PR** **48** *inchoat* **M**

**40** ignaros **Ra**: ignotos **Pωγ** **41** hic **Pγ** (*corr.* $\gamma^1$) **42** caucaseasque **defghklxyzε** **43** hylan *dist.* $\mathbf{P}^2$ **49** secuta est **Rωγ**, *Macrob. 4, 6, 3*: secuta **MPxz**. *Vide Wagner, Quaest. Virg. XV, 1* **50** timuissent **Ra** **51** qu(a)esissent $\mathbf{P}\varphi_1$, *schol. Bern.* **60** cortynia **MR** **61–63** *post u. 73 collocandos censuit Courtney* («*QUCC*», *n.s. 34, 1990, 111*), *sed traditus ordo efficit ut Sileni cantus a breuiore fabula ad longiorem procedat, quasi pondere rerum crescente. Si ordinem mutas, Galli magnificatio minus ponderis habet* **61** tunc **cinoδγ** **62** tunc *Seru. ad buc. 9, 19* (*sed* tum *hic*) amaro **Ra**, *sed* amarae corticis *testantur Quint. 1, 5, 35*, *Gramm.*, *Lib. Gloss. CO 2320*

tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum,
utque uiro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
ut Linus haec illi diuino carmine pastor
floribus atque apio crinis ornatus amaro
dixerit: ‘hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
cantando rigidas deducere montibus ornos.
his tibi Grynei nemoris dicatur origo,
ne quis sit lucus quo se plus iactet Apollo.’
    Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias uexasse rates et gurgite in alto
a! timidos nautas canibus lacerasse marinis;
aut ut mutatos Terei narrauerit artus,
quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
quo cursu deserta petiuerit et quibus ante
infelix sua tecta super uolitauerit alis?
    Omnia, quae Phoebo quondam meditante beatus
audiit Eurotas iussitque ediscere laurus,
ille canit, pulsae referunt ad sidera ualles;

**MPR**

**64–73** *post u. 81 collocandos censuit Scaliger teste Heyne, sed non est molesta haec Hesiodea fabula de Gallo inter Scyllam et Hesperidas posita; praeterea interrogatio rhetorica* quid loquar (*u. 74*) *indicium facit Sileni carmen iam inclinari ad conclusionem* **65** dixerit **MRa**: duerit **P** (*corr.* **P**$^{2}$) **66** atque **e**, *Arus. 454, 28* **73** nec **P**$^{2}$**Rad** quis] qui **MP**$^{2}$**Rdhkz**$\varphi_1$ **74** loquaor **P** (*corr.* **P**$^{x}$); «*alii* loquor, *alii* loquar» *Lib. Gloss. SC 159* aut] ut **Ra?** *def. Heyne aliique, sed est probanda uariatio* quid loquar aut Scyllam … aut ut … narrauerit artus (*u. 78*): *nam* quam fama secuta est *idem ualet ac* ‘*de qua Silenus famae adsentiens narrat*’. *In errorem uersatur Seruius, qui* aut *post* Nisi *subaudiendum putat, ita ut Scylla Nisi a Scylla Phorci discernatur* secuta est **M?PR**$^{2}$$\omega$: secutast **R** **78** ut *om.* **Mef** (*add.* **M**$^{1}$): in **l**: cum *Non. 527, 17* narrauerat **Ra?** actus **Ra** **79** pararet **Pdfgl**$\varphi_1$ (*corr.* **P**$^{x}$) **80** ante *codd.*, *id est* ‘*ante ultimum discessum*’ *et est commouendis animis apta notatio*: alte *Ribbeck* **81** infelix *dist.* **M**$^{2}$ supra **Ra** **83** discere **P** laurus **M** (*cf. buc. 8, 13 et 82*): lauros **PR**$\omega\gamma$

cogere donec ouis stabulis numerumque referri
iussit et inuito processit Vesper Olympo.

**MPR** **86** *desinit* **R** (*subditur* **a**)

**85** referri **M**$^{x}$**P**$^{x}$**cfikxyφ**$_{1}$**γ** (*cf. Aen. 5, 772 sq.*; *7, 468 sq.* '*iubet arma parari, / tutari Italiam, detrudere finibus hostem*' *11, 83 sq.*): referre **MPRω**, *Non. 381, 20*, *DSeru.* («referre *recensere*», *cf. georg. 4, 436*)

# ECLOGA VII

## MELIBOEVS CORYDON THYRSIS

MELIBOEVS

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis ouis, Corydon distentas lacte capellas,
ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
et cantare pares et respondere parati.
huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
uir gregis ipse caper deerrauerat: atque ego Daphnin
aspicio. ille ubi me contra uidet, ‘ocius’ inquit
‘huc ades, o Meliboee; caper tibi saluus et haedi;
et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
huc ipsi potum uenient per prata iuuenci,
hic uiridis tenera praetexit harundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.’
quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam
depulsos a lacte domi quae clauderet agnos,
et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum;
posthabui tamen illorum mea seria ludo.
alternis igitur contendere uersibus ambo

**MPa** **12** *inchoat* **V**

**2** gregem **n** unum] undam **P** (*corr.* **P²**) **5** parati] periti **noδ**, *Schrader, cl. buc. 10, 32 et ps. Theocr. 8, 4* ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν. *Sed bene Wagner*: «*melius* parati, *quod promptam facultatem exprimit*»; *adde huc, quod exquisita uidetur paronomasia* pares … parati (*uide Norden ad Aen. 6, 204 sqq.*) **6** huc **Mehilxy²zγ** (huic **y**), *Seru.*: hic **Paωγ**, *Seru. ad Aen. 10, 709*; «huc *pro* hic» *schol. Bern.* myrtus **fnoγ**$\boldsymbol{\varphi}_1$, *schol. Med.* **7** daphnim **Pa** **10** quis **cγ** **11** ueniunt **a** **15** agnos] hedos **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **18** aeternis **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) ambos **M**$\boldsymbol{\varphi}_1$ (*corr.* **M**$^{x}$)

coepere, alternos Musae meminisse uolebant.
hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

CORYDON

Nymphae, noster amor, Libethrides: aut mihi carmen,
quale meo Codro, concedite (proxima Phoebi
uersibus ille facit) aut, si non possumus omnes,
hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

THYRSIS

Pastores, hedera nascentem ornate poetam,
Arcades, inuidia rumpantur ut ilia Codro;
aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
cingite, ne uati noceat mala lingua futuro.

CORYDON

Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, paruus
et ramosa Micon uiuacis cornua cerui.
si proprium hoc fuerit, leui de marmore tota
puniceo stabis suras euincta coturno.

THYRSIS

Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis
exspectare sat est: custos es pauperis horti.
nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
si fetura gregem suppleuerit, aureus esto.

**MPaV**

**19** uolebam **r?y?** «*si* uolebant, *sensus est: 'Musae utriusque meminerant', ut 'amant alterna Camenae' (buc. 3, 59). Sed multi* uolebam *legunt, ut sit: 'optabam, o Musae, meminisse alternos', id est omnia quae dixerunt tenere; nam et in fine dicturus est 'haec memini' (u. 69)» Seru. At si* uolebant *accipis, intellige potius: 'haec certamini erat a Musis imposita lex, ut pastores alternis uicibus cantarent'* **22** phoebo **V** **23** possumus **M$^1$P$^2$aωγ$^1$**, *Diom. 418, 15, Dosith. 423, 18, Seru.*: possimus **MPVcrγ** **24** pendebis **γ** (*corr.* **γ$^1$**), *DSeru.* pino **bγ$^1$** **25** nascentem **Vbisε**, *Seru.*: nascente **M**: crescentem **M$^A$Paωγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 1, 29, Seru. ad buc. 4, 19, Expl.* Nascentem *ualet 'primos gradus facientem' (uide OLD s.u. 'nascor', 1c), quasi sit 'uiam Musarum nuper ingressum', id quod congruit cum* uati … futuro (*u. 28*); *lectio* crescentem *fortasse ex glossemate orta est* **26** codri **γ** (*corr.* **γ$^1$**) **27** laudabit **γ** (*corr.* **γ$^1$**) **29** *uarias lectiones* hocc apri *et* hoc capri (*scil. metri causa ortas*) *testatur DSeru.*

CORYDON

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
candidior cycnis, hedera formosior alba,
cum primum pasti repetent praesepia tauri,
40 si qua tui Corydonis habet te cura, uenito.

THYRSIS

Immo ego Sardoniis uidear tibi amarior herbis,
horridior rusco, proiecta uilior alga,
si mihi non haec lux toto iam longior anno est.
44 ite domum pasti, si quis pudor, ite iuuenci.

CORYDON

49 Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
50 semper, et adsidua postes fuligine nigri.
hic tantum Boreae curamus frigora quantum
aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

THYRSIS

Stant et iuniperi et castaneae hirsutae,
strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma,
55 omnia nunc rident: at si formosus Alexis
56 montibus his abeat, uideas et flumina sicca.

**MPaV** **37** *desinit* **V**

**39** repetunt **cfgikrsy**: repetant **γ** (*corr.* **γ**$^1$) **41** uideor **Pa**$^2$**c** (*corr.* **P**$^2$) **43** annost **Ma** (*corr.* **M**$^2$**a**$^2$) **45–48** *uide post u. 56* **49–52** *Corydoni tribui, uide ad uu. 45–48*: *Thyrsidi tribuunt codd.* **51** hinc **γ** (*corr.* **γ**$^1$), «*nonnulli*» *ap. DSeru.* **52** numerum] murum *A.G. Peskett «C. R.» 32, 1918, 31. «subauditur* ‘*ouium*’, *uel similium» DSeru.* ripas **M**$^x$**a**$^2$**ωγ**, *Seru.*, *schol. Bern.*: ripa **P**: ripis **Ma** **53–56** *Corydoni tribuunt codd. Thyrsidi tribuendos et post uu. 57–60 collocandos censuit quidam «doctus Britannus» ap. Heyne* (*quem Gilbertum Wakefield fuisse habeo persuasum*), *quod probauerunt Perret aliique. Hos uersus consentio Thyrsidi adscribendos, cuius ingenio sane uidentur conuenire, sed aliter ordinaui. Nam uersibus 45–48 conuenientiae causa translatis (cf. adn. ad loc.), necesse est non solum uu. 49–52, sed etiam uu. 53–56 alteri cantori consequenter tribuantur* **54** quaeque **MPaωγ**, *Colum. 7, 10, 8*, *Non. 326, 28 et 389, 13*, *Seru. ad Aen. 4, 444*: quaque **b**$^2$**c**$^2$ (quamque **b**), *Bentley ad Manil. 2, 253*, *sed uide Madvig ad Cic. fin. 5, 46*, *Lachmann ad Lucr. 2, 371*, *J. Wackernagel, Vorlesungen über Syntax, I, Basel 1926*$^2$*, 54* **56** abeat] aberit **P**$^x$ (aberiturt **P**): habeat **frsxnoεγ**

CORYDON

45 Muscosi fontes et somno mollior herba,
46 et quae uos grata uiridis tegit arbutus umbra,
47 solstitium pecori defendite: iam uenit aestas
48 torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.

THYRSIS

57 Aret ager, uitio moriens sitit aëris herba,
Liber pampineas inuidit collibus umbras:
Phyllidis aduentu nostrae nemus omne uirebit,
60 Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri.

CORYDON

Populus Alcidae gratissima, uitis Iaccho,
formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo;
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
nec myrtus uincet corylos, nec laurea Phoebi.

THYRSIS

65 Fraxinus in siluis pulcherrima, pinus in hortis,
populus in fluuiis, abies in montibus altis:
saepius at si me, Lycida formose, reuisas,
fraxinus in siluis cedet tibi, pinus in hortis.

**MPa**

**45–48** *post u. 56 transposui, ut amoebaea ratione uersibus 57–60 conuenienter responderent* (*cf. 45* herba ~ *57* herba; *46* umbra ~ *58* umbras); *uide quae disserui in «MD» 69, 2012, 66–73* **46** grata *Peerlkamp* (*cf. georg. 4, 402; Ou. met. 13, 793* '*aestiua gratior umbra*'): rara *codd.*, *Seru.* **48** laeto **Maωγ**, *quod u. 60* (laeto) *respondere uidetur* (*cf. georg. 2, 262* '*laetum … uitis genus*'; *2, 363 sq.*): lento **M**$^{A}$**P** **60** *om.* **P** (*add.* **P**$^{2}$) **62** myrtus] uyrtus **M** (*corr.* **M**$^{1}$): uirtus **P** **63** dum phyllis amabit *in ras.* **M** (*fortasse* nec laurea phoebi **M**, *corr. supra lineam* **M**$^{x}$, *erasit et denuo scripsit* **M**$^{2}$) **64** *om.* **γ** (*add.* **γ**$^{1}$) corylos] Veneris *Hebrus ap. DSeru*. *Attamen uerba* corylos … corylos *bis repetita iucunde resonant quasi imitantia cantilenam; praeterea* fraxinus … cedet tibi (*u. 68*) *ad* myrtus uincet corylos (*u. 64*) *respondet* **65–66** «fraxinus in siluis *et post* populus in fluuiis, *ut est nunc, in Vari et in Hebri: prius* populus in fluuiis, *dein* fraxinus in siluis» *DSeru. Vide Timpanaro 146 sq.* **65** pulcherrima] cedat tibi **M** (*corr. supra lineam* **M**$^{x}$, *erasit et denuo scripsit* **M**$^{2}$) **67** at] ac **M** (*corr.* **M**$^{A}$): ad **Py** me] nos **Λ** (*praeter* **ε**) reuises **οη** **68** cedet **Pcb**$^{2}$**d**$^{2}$**g**$^{2}$**h**$^{2}$**s**$^{2}$**ε**$^{2}$, *schol. Bern.*; *futurum Seruius legisse uidetur* (*cf. 64* uincet; *uide ad 4, 59*): cedat **MPωγ**

MELIBOEVS

Haec memini, et uictum frustra contendere Thyrsin.
ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

**MPa**

**69** concedere **a** (*corr.* **a**$^{2}$) thyrsim **a** **70** *uersus significat* '*ex illo Corydon* ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως κόρυδος *factus est*', *ut bene demonstrat M. Bettini,* «*SCO*» *21, 1972, 264 sq.* corydon *semel* **P** (*corr.* **P**$^{2}$)

# ECLOGA VIII

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
immemor herbarum quos est mirata iuuenca
certantis, quorum stupefactae carmine lynces,
et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
    Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timaui
siue oram Illyrici legis aequoris, — en erit umquam
ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
en erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
sola Sophocleo tua carmina digna coturno?
a te principium, tibi desinam: accipe iussis
carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum
inter uictrices hederam tibi serpere laurus.
    Frigida uix caelo noctis decesserat umbra,
cum ros in tenera pecori gratissimus herba:
incumbens tereti Damon sic coepit oliuae.

DAMON

Nascere, praeque diem ueniens age, Lucifer, almum,
coniugis indigno Nysae deceptus amore
dum queror et diuos, quamquam nil testibus illis
profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
    incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis

**MPa** **19** *inchoat* **V**

**4** suo **Maz** (*corr.* **M**$^{A}$**a**$^{2}$) linquerunt **γ**: liquerunt **ghγ**$^{1}$: reliquerunt **eir** rursus **P** (*corr.* **P**$^{2}$): cursu **a** (*corr.* **a**$^{2}$) **7** en] et **M** (*corr.* **M**$^{1}$) **11** tibi] in te *Ladewig*; «tibi desinet, *id est* ‘*in te*’» *DSeru.* desinam **P** (*cf. Hom. Il. 3, 97* ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ’ ἄρξομαι): desino **γ**: desinet **Maωγ**$^{1}$, *ps. Acro ad Hor. epist. 1, 1, 1*, *DSeru.*, *Expl. ad u. 6*, *schol. Bern.*: desinit **bdr**. *Aliquis, hiatum moleste ferens, lectionem* desinet (*unde postea* desinit) *excogitauit* (*cf. buc. 2, 53*) iussu **a** (*corr.* **a**$^{2}$) **12** carmine **P** (*corr.* **P**$^{2}$) **13** haederas *Char. 135, 26* laurus *Quint. 9, 3, 6*, *Char.*: lauros *codd.*, *Porph. ad Hor. carm. 1, 1, 29*, *Expl.*, *Isid. 17, 9, 22*, *schol. Bern.* **14** discesserat **bt** **20** et extremam **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) adloquar **MP**$^{2}$**degl** (*corr.* **M**$^{A}$) **22** pinusque **Pγ** (*corr.* **P**$^{2}$**γ**$^{1}$)

semper habet, semper pastorum ille audit amores
Panaque, qui primum calamos non passus inertis.
incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
Mopso Nysa datur: quid non speremus amantes?
iungentur iam grypes equis, aeuoque sequenti
cum canibus timidi uenient ad pocula dammae.
28a incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
Mopse, nouas incide faces: tibi ducitur uxor.
sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperos Oetan.
incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
o digno coniuncta uiro: dum despicis omnis,
dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae
hirsutumque supercilium promissaque barba,
nec curare deum credis mortalia quemquam.
incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
saepibus in nostris paruam te roscida mala
(dux ego uester eram) uidi cum matre legentem.
alter ab undecimo tum me iam acceperat annus,

**MPaV**

**24** primum **Mb**: primus **Paωγ**, *schol. Seruii cod. R*, *DSeru.* (*cf. buc. 2, 32*); *euan. in* **V**. Primum *tempus indicat, ex quo pastores calamos in usu habent* (*cf. e.g. Lucr. 1, 66 sq.* '*primum Graius homo mortalis tollere contra / est oculos ausus*'). *Adde quod, si* primus *legis, sigmatismus nonnihil iniucunditatis habere uidetur* (prim*us* calam*os* non pass*us* inert*is*) **26** qui **aV** (*corr.* **a**$^{2}$**V**$^{2}$) **28** timidi **M**$^{A}$**a**$^{2}$**Vωγ**, *Quint. 9, 3, 6*, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 2, 9*, *Porph. ad Hor. carm. 1, 29, 12*, *Seru. hic, ad georg. 1, 183 et ad Aen. 8, 641*, *Expl.*, *Exp. ad georg. 1, 183*, *Gramm.*: timidae **Ma**, *Seru. ad Aen. 5, 122*: timidet **P** (timidit **P**$^{x}$): timide **c** damnae **M** (*corr.* **M**$^{A}$): lammae **P** (*corr.* **P**$^{x}$) **28a** *uersum intercalarem habet* **γ**: *om. cett.*, *sed cf. u. 76. Damonis et Alphesiboei carmina tam congruenter constructa sunt, ut in utroque cantu totidem uersus intercalares diligenter sint iterati: itaque u. 28a ad iustum numerum complendum necessarius uidetur esse* **29** incende **a**: incede **rγ** (*corr.* **a**$^{2}$**γ**$^{1}$) tibi ducitur] diducitur **P** (*corr.* **P**$^{2}$) **30** hesperos **P**: hesperus **MaV** oetan **VtΛ**: oetam **MaΦε**: hoeta **P**: oeta **γ** **34** promissaque **MaVωγ**, *Diom. 414, 23*, *Dosith. 417, 6*, *schol. Ver.*, *Seruii codd. aliqui*: demissaque **P**, *Seruii codd. plerique*: prolixaque **a**$^{2}$**clzδεη**; «promissaque barba *demissa, prolixa*» *Seruii cod. R* **39** c(o)eperat **krsΛ**

iam fragilis poteram a terra contingere ramos:
ut uidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
nunc scio quid sit Amor: nudis in cotibus illum
aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
saeuus Amor docuit natorum sanguine matrem
commaculare manus; crudelis tu quoque, mater.
crudelis mater magis, an puer improbus ille?
improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater.
incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
nunc et ouis ultro fugiat lupus, aurea durae
mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
pinguia corticibus sudent electra myricae,
certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in siluis, inter delphinas Arion.
incipe Maenalios mecum, mea tibia, uersus.
omnia uel medium fiat mare. uiuite siluae:
praeceps aërii specula de montis in undas
deferar; extremum hoc munus morientis habeto.

**MPaV** **44** *desinit* **V**

40 a] ab **MPn**: ad **$P^x$**: *om.* **o** pertingere **bo**: perfringere **n**: perstringere **η**; «*in Corneliani* contingere, *in Ebri* pertingere» *Expl.* **43** nudis **Pabγ**, *Lib. Gloss. CO 2401*: duris **$MP^2a^2V\omega\gamma^1$**, *schol. Bern.* (*cf. georg. 4, 203*; *Aen. 4, 366*). *Feritatem loci remoti et inhospitalis bene* nudis *significat; ceterum confunduntur* nudi *et* duri *etiam in schol. Bern. ad georg. 1, 58* cautibus **a** (*corr.* **$a^2$**) **44** aut tmaros **lrtn**: aut tmarus **$a^2$Vkx**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 1, 1*: aut maros **$MPadz\gamma^2$**, *Probus 226, 16*, *DSeru.*: aut marus **b?f?h?γ**: ismarus **ω**, *Expl.*: aut ismarus **$i\gamma^1$**, *Seru.* **49** an *om.* **γ** (*add.* **$\gamma^1$**): at *Ribbeck, qui post* mater *distinxit* **49–50** *ante* ille[1] *dist.* **$M^xP^2$**, «*multi*» *ap. DSeru.* («*geminandum* ⟨*ille*⟩*: 'ille, inprobus ille puer crudelis'*»), *sed cf. buc. 10, 61* ('*deus ille*') **50** *hunc u. eiecit Ribbeck, sed iniuria: nam non ad interrogationem ipsam responsio est, sed correctio, ut bene explicauit I. Vahlen, Opuscula academica II, Lipsiae 1908, 538 sq.* (*cf. Eur. Her. 558 sqq.*; *Callim. hymn. 4, 79 sqq.*) **52** ultra **γ** (*corr.* **$\gamma^1$**) **56** orion **Mεην** (*corr.* **$M^1$**), *cod. Auson.* **58** fiat **$MPbfgr\gamma^1$**, *Don. et schol. Bemb. ad Ter. Adelph. 790*, *DSeru.*, *schol. Bern.* (*cf. ps. Verg. Dirae 46*; *Ou. met. 1, 292*): fiant **aωγ**, *Don. ad Ter. Andr. 695*, *Prisc. 9, 26*, *Expl.*

desine Maenalios, iam desine, tibia, uersus.
Haec Damon; uos, quae responderit Alphesiboeus,
dicite, Pierides: non omnia possumus omnes.

ALPHESIBOEVS

Effer aquam et molli cinge haec altaria uitta
uerbenasque adole pinguis et mascula tura,
coniugis ut magicis sanos auertere sacris
experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
carmina uel caelo possunt deducere lunam,
carminibus Circe socios mutauit Vlixi,
frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
terna tibi haec primum triplici diuersa colore
licia circumdo, terque hanc altaria circum
effigiem duco; numero deus impare gaudet.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
necte, Amarylli, modo et 'Veneris' dic 'uincula necto'.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit
uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.
sparge molam et fragilis incende bitumine laurus:
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
talis amor Daphnin qualis cum fessa iuuencum
per nemora atque altos quaerendo bucula lucos

**MPa**

**65** uerbenas **a** (*corr.* **a**$^2$) **68** daphnim **P**: daphnī **M** (*sic etiam uu. 72, 76, 79, 84, 85, 90, 93, 94, 100, 102, 104*) **69** *hunc u. om.* **M**, *add. ima pagina* **M**$^A$ uel lunam caelo deducere possunt *schol. Stat. Theb. 1, 105* **70** ulixi **MPlrxo**, *Lib. Gloss. CI 235* (*cf. Aen. 2, 7*; *90*; *436*; *3, 273*; *613*; *691*): ulixis **αωγ**, *Expl., schol. Bern., imitatus est Petron. 134, 12, u. 13*: olixis *CIL IV 1982* **73** primus **P** (*corr.* **P**$^2$) **74** hanc **tΛ**, *def. Wakefield*: haec **MPaΦγ**, *Seru. ad Aen. 4, 508*, *schol. Bern.* Licia *et* effigies *portenta manu exhibentur;* altaria *autem sunt iam supra* (*u. 64*) *indicata* **76** *secludendum censuit Perret, sed uide quae adnotaui supra ad u. 28a* **82** laurus **Mo**: lauros **Paωγ** (*cf. u. 13*)

propter aquae riuum uiridi procumbit in ulua
perdita, nec serae meminit decedere nocti,
talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
    ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit,
pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnin.
    ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
has herbas atque haec Ponto mihi lecta uenena
ipse dedit Moeris (nascuntur plurima Ponto);
his ego saepe lupum fieri et se condere siluis
Moerin, saepe animas imis excire sepulcris,
atque satas alio uidi traducere messis.
    ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
fer cineres, Amarylli, foras riuoque fluenti
transque caput iace, nec respexeris. his ego Daphnin
adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
    ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
'aspice: corripuit tremulis altaria flammis
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit!
nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat'.

**MPa**

**87** concumbit **Paγ** (*corr.* **P²a²γ¹**), *sed cf. Aen. 5, 481* ('*procumbit humi bos*') **98** moerin **b** *(cf. buc. 9, 53 sq.)*: moerim **MPaω** exire **b** **102** ne **Pˣa²crstxyzεν** **105–107** *Amaryllidi tribuendos censuit Cartault (321). Nam, cum mimica carminis forma uetet personam loquentem indicari, ancillam* aspice *exclamantem nunc introduci antiqui commentatores iam uiderunt* («*hoc ab alia dici debet*» *DSeru.*; «*forsitan ancilla dicit*» *schol. Bern.*). *Ambigitur tamen utrum ancilla an domina uersum 107 dicat: dominae tribuunt plerique, at Ribbeck etiam* bonum sit *includit* κατ᾽ἀντιλαβήν. *Ego uero puto uu. 105–107 ancillae esse tribuendos: haec enim bonis ominibus aliquam fidem adiungit* (nescio quid certe est); *proinde domina, antea dubitans* (*u. 108* credimus?), *denique ad credendum et ipsa adducitur* (*u. 109* ab urbe uenit … Daphnis) **106** bonus **γ** (*corr.* **γ¹**) **107** certe est **MP²a²Φε**, *DSeru., schol. Seruii cod. R*: certest **Pa**: certi est **MˣΛ**: certum est *Fulg. 84, 6* Hylax *ed. Antoni Zarotti, Mediolani 1475*; ὑλακτέω *et* '*Hylactor*' (*Ou. met. 3, 224*) *bene comparauit A. Mancinellus* (*Romae 1490*): hylas *codd., Fulg., Seruii cod. R, Expl., schol. Bern.*

credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
parcite, ab urbe uenit, iam parcite carmina, Daphnis.

**MPa**

**108** omnia **M** (*corr.* **M**[A]) fingunt **a** (*corr.* **a**[2]) **109** carmina (-e **c**) parcite **Mcd?eirtoην**

# ECLOGA IX

## LYCIDAS MOERIS

LYCIDAS

Quo te, Moeri, pedes? an, quo uia ducit, in urbem?

MOERIS

O Lycida, uiui peruenimus, aduena nostri
(quod numquam ueriti sumus) ut possessor agelli
diceret: 'haec mea sunt; ueteres migrate coloni.'
nunc uicti, tristes, quoniam fors omnia uersat,
hos illi (quod nec uertat bene) mittimus haedos.

LYCIDAS

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
incipiunt mollique iugum demittere cliuo,
usque ad aquam et ueteris iam fracta cacumina fagi,
omnia carminibus uestrum seruasse Menalcan.

MOERIS

Audieras, et fama fuit; sed carmina tantum
nostra ualent, Lycida, tela inter Martia quantum
Chaonias dicunt aquila ueniente columbas.

**MPa**

**1** ducite **a** (*corr.* **a**²) orbem **P** (*corr.* **P**ˣ) **3** quod] qua **γ**¹: quo *recc.* **5** tristis … Fors *Wakefield* **6** quod] quot **P**: quos **M**ᴬ**n**² nec] non *recc.*, *Prisc. 18, 220* uertat bene **MPabcdelrΛγ**¹: bene uertat **P**²**Φενγ**, *Non. 348, 25*, *Don. ad Ter. Phorm. 678*, *Seru. hic et ad Aen. 4, 647*, *Prisc. Est tamen hic ordo pedestris sermonis proprius* (*cf. Liu. 1, 28, 1*; *3, 35, 8*; *3, 62, 4*; *8, 5, 5*; *34, 34, 2*) **7** quidem **a** (*corr.* **a**²) **8** incipiant **P** (*corr.* **P**²) dimittere **bcdeflrzΛ** (*praeter* **nδ**), *Quint. 8, 6, 46* (*cod. A*), *DSeru. ad u. 7* **9** ueteris … fagi **Paωγ**, *Quint.*, *Porph. ad Hor. epist. 2, 2, 170*, *Expl.* (*cf. Pers. 5, 52*): ueteres … fagos **Mγ**¹. *Lectio* ueteris … fagi *mihi potior esse uidetur Quintiliano auctore; timeo enim ne appositio* κατὰ παρένθεσιν (ueteres, iam fracta cacumina, fagos) *in textum inrepserit ad imitationem buc. 2, 3* ('*densas, umbrosa cacumina, fagos*'). *Solitaria fagus pro limite fungitur agelli* (*cf. Hor. epist. 2, 2, 170 sq.* '*populus adsita certis / limitibus*') *et uetustate sua imaginem miseri pastoris eiusque longaeuae sed iam interruptae beatitudinis praebet* (*et ideo dixit* iam fracta)

quod nisi me quacumque nouas incidere lites
ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix,
nec tuus hic Moeris nec uiueret ipse Menalcas.

LYCIDAS

Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
paene simul tecum solacia rapta, Menalca!
quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
spargeret aut uiridi fontis induceret umbra?
uel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
cum te ad delicias ferres Amaryllida nostras?
‘Tityre, dum redeo (breuis est uia), pasce capellas,
et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
occursare capro (cornu ferit ille) caueto.’

MOERIS

Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:
‘Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Mantua uae miserae nimium uicina Cremonae,
cantantes sublime ferent ad sidera cycni.’

LYCIDAS

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
sic cytiso pastae distendant ubera uaccae:
incipe, si quid habes. et me fecere poetam
Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt
uatem pastores; sed non ego credulus illis.
nam neque adhuc Vario uideor nec dicere Cinna

**MPa**

**14** quocumque **P**: quaecumque **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **17** cadet **Pb** **20** aut] et **b**: ut **t** uiridis **a** **21** uel] nam *Non. 332, 36* **25** ferit **M**$^{A}$**aωγ**, *Gell. 9, 9, 11*, *Arus. 482, 1*, *ps. Prob. ad georg. 1, 227*, *Prisc. 8, 71*, *imit. Gaetul. carm. frg. 1*: feret **M**: petit **Pγ**$^{1}$ (*cf. buc. 3, 87*; *Aen. 9, 629*) **26** baro **M** canebam **P** (*corr.* **P**$^{2}$): canebant **γ** **27** bare **M**: uere **P** **27–28** superet – Mantua] cupiant superent mantua (28) nobis mantua **M** (*corr.* **M**$^{A}$); *cf. buc. 6, 7* **28** misere **MP** (*corr.* **M**$^{A}$) **29** ferant **P**$^{2}$**νγ** **30** cyrneas **Maω** (*a Cyrno insula, ut bene explicat Seru.*): cryneas **M**$^{2}$ (crineas **ε**): grynaeas **P** (grineas **ce**, gryneas **γ**): cyrineas **fg?lr?s** exagmina **M** (*corr.* **M**$^{x}$) **35** uario **aγ**$^{1}$ (*om.* **γ**): uaro **MPa**$^{2}$**ω**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 6, 8*, *schol. Bern.*; *utrumque agnoscunt Seru.*, *DSeru.*

digna, sed argutos inter strepere anser olores.

MOERIS

Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse uoluto,
si ualeam meminisse; neque est ignobile carmen.
'huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
hic uer purpureum, uarios hic flumina circum
fundit humus flores, hic candida populus antro
imminet et lentae texunt umbracula uites.
huc ades; insani feriant sine litora fluctus.'

LYCIDAS

Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
audieram? numeros memini, nisi uerba tenerem:
'Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
astrum quo segetes gauderent frugibus et quo
duceret apricis in collibus uua colorem.
insere, Daphni, piros: carpent tua poma nepotes.'

MOERIS

Omnia fert aetas, animum quoque. saepe ego longos
cantando puerum memini me condere soles.
nunc oblita mihi tot carmina, uox quoque Moerin

**MPa**

**36** anser] «*alludit ad Anserem quendam, Antonii poetam*» *Seru.* (*cf. Prop. 2, 34, 84 et Ou. trist. 2, 435* '*Cinnaque procacior Anser*') **38** nec **a** (*corr.* **a**$^{2}$) **39** ades, o] adeo **a** (*corr.* **a**$^{2}$) lusus **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **42** et] e **P** (*corr.* **P**$^{2}$): en *Ribbeck* **45** nisi *scripsi*: si *codd.*, *Quint. 9, 4, 54, Non. 353, 2 et 534, 14, Rufin. 55, 29, Apthon. 41, 27, DSeru. hic* («si uerba tenerem *hoc est carmen non teneo*») *et ad Aen. 3, 446, Seru. ad Aen. 4, 335; 6, 646; 9, 773, 11, 599; Prisc. 18, 160, 187, 190, 241; Isid. 1, 38, 8. Lycidas Moeridis cantum tam bene memoria retinet, ut non tantum numeros sed etiam aliqua uerba commemorare possit; quare* nisi *conieci et sic intelligo:* '*numeros memini, aut saltem numeros meminissem, nisi uerba tenerem*'. *Vide quae disserui in «MD» 69, 2012, 73–79* tenebam **P** (*corr.* **P**$^{x}$) **46–50** *Lycidae continuant* **Moνγ**: *Moeridi* (*usque ad u. 55*) *tribuunt* **P**$^{1}$**aω**, *sed necesse est Lycidae responsio* (*uu. 44–50*) *totidem uersibus constet quot Moeris iam cecinerat* (*37–43*) **46** suspicit **aγ** (*corr.* **a**$^{2}$**γ**$^{1}$) **48** quo$^{2}$] quod **M** (*corr.* **M**$^{x}$) **52** puerum] longos *ps. Acro ad Hor. carm. 4, 5, 29*: solitum *Agroec. 117, 23* condere] ducere **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **53** moerin **y**: moerim **Paω**: morim (*ex* mouerim) **M**$^{x}$: moeri **bγ** (*cf. 54*)

iam fugit ipsa: lupi Moerin uidere priores.
sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.

LYCIDAS

Causando nostros in longum ducis amores.
et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes,
aspice, uentosi ceciderunt murmuris aurae.
hinc adeo media est nobis uia; namque sepulcrum
incipit apparere Bianoris. hic, ubi densas
agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus;
hic haedos depone, tamen ueniemus in urbem.
aut si nox pluuiam ne colligat ante ueremur,
cantantes licet usque (minus uia laedit) eamus;
cantantes ut eamus, ego hoc te fasce leuabo.

MOERIS

Desine plura, puer, et quod nunc instat agamus;
carmina tum melius, cum uenerit ipse, canemus.

**MPa**

**54** moerin **Py**: moerim **M**$^{x}$**aωγ** (moerem **M**)  **59** hic **P**  media est] mediaesit **M** (*corr.* **M**$^{x}$)  **64** laedit **MΛγ**: laedet **aΦνεγ**$^{1}$ (ledet **P**), *Seru., schol. Bern. ad georg. 1, 293*: laedat **f**  **66** puer, et quod nunc **M**$^{A}$**P**$^{2}$**ωγ**: puer quod nunc **M**: puer nunc quod nunc **M**$^{1}$**Pcdetzν** (*corr.* **M**$^{A}$**P**$^{2}$): puer et nunc quod **a**

# ECLOGA X

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem:
pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
carmina sunt dicenda : neget quis carmina Gallo?
sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam :
incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
dum tenera attondent simae uirgulta capellae.
non canimus surdis: respondent omnia siluae.
    Quae nemora aut qui uos saltus habuere, puellae
Naides, indigno cum Gallus amore peribat?
nam neque Parnasi uobis iuga, nam neque Pindi
ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
illum etiam lauri, etiam fleuere myricae,
pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus et gelidi fleuerunt saxa Lycaei.
stant et oues circum; nostri nec paenitet illas,
nec te paeniteat pecoris, diuine poeta:
et formosus ouis ad flumina pauit Adonis.

**MPa** 10 *inchoat* **R**

**1** laborum **P** (*corr.* **P**$^{2}$), *sed cf. buc. 8, 60* **5** suas … undas *Sen. nat. quaest. 3, 6, 26* **7** tenerae **a** (*corr.* **a**$^{2}$) **10** peribat **M**$^{A}$**PRartΛγ**: periret **MΦενγ**$^{1}$ **12** aonie **ω**, *Seru.* (*cf. Catull. 61, 28*): aoiniae **Rab**: aoniae **MPdeir**, *schol. Med.*, *Gramm.* aganipse **M**: acanippe **P** (*corr.* **M**$^{A}$**P**$^{x}$): aganippae **fiε**, *Gramm.* (*praeter Probum 258, 10*); «Aonie Aganippe *nominatiui sunt singulares*» *Seru.* **13** etiam$^{2}$] illum **Raγ** (*corr.* **a**$^{2}$**γ**$^{1}$): illum etiam **Λ**, *sed hiatus seruandus* (*cf. buc. 3, 6 et 63*; *7, 53*; *8, 41*) **16–18** *post u. 8 transp. Scaliger*, *damnauit F. Hitzig* («*RhM*» *14, 1859, 482 sqq.*): *solum u. 17 secl. Ribbeck, sed cf. Theocr. 1, 74* (πολλαί οἱ πὰρ ποσσὶ βόες ~ *u. 16* stant et oues circum); *109* (ὡραῖος χὤδωνις, ἐπεὶ καὶ μῆλα νομεύει ~ *u. 18*). *Nec in suspicionem uersus 17 cadit, quamuis ex Vergilianis aliis* (*buc. 2, 34* '*nec te paeniteat*' *et 5, 45* '*diuine poeta*') *confectus uideri possit: nam exhortatio ad pastoralia extremum est munus a Vergilio elegiaco amico oblatum, ex qua totus sensus carminis pendet* (*uide G.B. Conte, Il genere e i suoi confini, Torino 1984*$^{2}$*, 13–53 = The Rhetoric of Imitation, Ithaca-London 1986, 100–129*) **16** nec] non *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 11, 15*

uenit et upilio, tardi uenere subulci,
uuidus hiberna uenit de glande Menalcas.
omnes ‘unde amor iste’ rogant ‘tibi?’ uenit Apollo:
‘Galle, quid insanis?’ inquit. ‘tua cura Lycoris
perque niues alium perque horrida castra secuta est.’
uenit et agresti capitis Siluanus honore,
florentis ferulas et grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiae uenit, quem uidimus ipsi
sanguineis ebuli bacis minioque rubentem.
‘ecquis erit modus?’ inquit. ‘Amor non talia curat,
nec lacrimis crudelis Amor nec gramina riuis
nec cytiso saturantur apes nec fronde capellae.’
   Tristis at ille ‘tamen cantabitis, Arcades,’ inquit
‘montibus haec uestris; soli cantare periti
Arcades. o mihi tum quam molliter ossa quiescant,
uestra meos olim si fistula dicat amores!
atque utinam ex uobis unus uestrique fuissem
aut custos gregis aut maturae uinitor uuae!
certe siue mihi Phyllis siue esset Amyntas
seu quicumque furor — quid tum, si fuscus Amyntas?
et nigrae uiolae sunt et uaccinia nigra —
mecum inter salices lenta sub uite iaceret;
serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,

**MPR**

**19** et] en **t?γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) upilio **MRabtνγ** (ypilio **n**), *Apul. flor. 3, 9* (‘*Vergilianus upilio uel busequa*’), *Ter. Maur. 1191*, *Seru.*: utfilio **P**: opilio **P**$^{x}$**ωγ**$^{1}$ (oppilio **ksxyδ**), *Expl.*, *schol. Bern.*, *Lib. Gloss. OP 124. Vide ThlL X, 707, 25 sq.* tardi] tarde **Pef** subulci *codd.*, *Ter. Maur.*, *Seru.*, *Expl.*: bubulci *Egnatius* (*Venetiis 1507*), *Pierius cl. Theocr. 1, 80* ἦνθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, ᾡπόλοι ἦνθον (*cf. etiam Apul.*) **20** huuidus **P**: umidus **Ra** **23** castra] saxa **P** (*corr.* **P**$^{2}$) secuta est **M**$^{2}$**R**$^{2}$**P**: secutast **MRa** **28** ecquis **MPd**, *schol. Bern.*: et quis **P**$^{x}$**Rωγ** non] nec **Rad?**, *schol. Bern. ad u. 60* **29** ripis **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **31** ille *dist.* **M**$^{x}$**P**$^{2}$, «*melius*» *iudice Seru.* tamen *superioribus iungunt* «*alii*» *ap. Seru.* **32** nostris **Pb** **33** tum] tam **P** (*corr.* **P**$^{2}$) quiescent **t**$^{2}$, *cod. Auson.* (quiescint **f**) **38** *om.* **ai**, *post u. 67 iterauit* **P** **40** sub uite] «*alii* sub rupe» *Expl.* (*cf. u. 14*) iaceres **MPγ** (*corr.* **P**$^{2}$**γ**$^{1}$) **42** lycoris **MP**$^{2}$ (*corr.* **M**$^{x}$)

hic nemus; hic ipso tecum consumerer aeuo.
nunc insanus amor duri me Martis in armis
tela inter media atque aduersos detinet hostis.
tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum)
Alpinas, a! dura niues et frigora Rheni
me sine sola uides. a, te ne frigora laedant!
a, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
    Ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita uersu
carmina pastoris Siculi modulabor auena.
certum est in siluis inter spelaea ferarum
malle pati tenerisque meos incidere amores
arboribus: crescent illae, crescetis, amores.
interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis
aut acris uenabor apros. non me ulla uetabunt
frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
iam mihi per rupes uideor lucosque sonantis
ire, libet Partho torquere Cydonia cornu

**MPR**

**44** diri **rt**$^{2}$ (*sed cf. Aen. 12, 73 et 410*) me] te *Heumann. At bene adnotauit Wagner*: «te *si pro* me *legas, omnem tollas concinnitatem*»; *nam* nunc *uim aduersatiuam habet* (*cf.* νῦν δέ) *et opponit insaniam belli* (insanus amor duri … Martis) *quietae pastorum uitae, quam uiuere Gallus quoque promptus esse tandem uidetur* (*u. 50* ibo *eqs.*). *Adde quod oppositio in sequentibus* tu procul (*u. 46*) *hic* me *requirit* in armis] inermis **P** (*corr.* **P**$^{2}$) **45** tela] illa **P** (*corr.* **P**$^{2}$) **46** *post hunc u. lacunam unius uersus statuit Ribbeck, sed* nec sit mihi credere tantum *interiectio est per parenthesin facta* (*ut bene explicat Seru., qui tamen* tantum *cum* procul *praue coniungit*); *cf. buc. 9, 6* '*quod nec uertat bene*'; *Aen. 3, 484*; *7, 581*; *9, 813*; *10, 608*; *11, 684* sit] sic **Mγ** (*corr.* **M**$^{2}$**γ**$^{1}$) **51** medullabor **γ**: meditabor *GLK IV, 552, 23* (*cf. buc. 1, 2*) **54** illae et **a**$^{2}$ crescentis **Ra**: crescentes **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **55** mixtis] siluis **b** (*cf. u. 52*): mixtus **a**$^{2}$**ceg**$^{2}$**xnδη** nymphis **Pωa**$^{2}$**γ**, *Seru., DSeru.*, «*alii uerius*» *ap. schol. Bern. ad u. 62*: limphis **M**, *schol. Bern.*: siluis **Ra**. *Confunduntur saepe in libris uoces* lymphae *et* nymphae (*uide Lucr. 6, 1174*; *Hor. epod. 16, 48*; *carm. 3, 13, 16*; *ps. Verg. Dirae 67*; *Aetna 112; Prop. 3, 16, 4)*. Nymphis *hic aptius mihi uidetur, cum Gallus quasi Phaedra illa Euripidea* (*Hipp. 215 sqq.*) *per montes ac siluas Dianam eiusque socias gestiat ad uenandum sectari; etenim hae sunt arborum nymphae Hamadryades infra memoratae* (*u. 62*), *ut iam uidit Seru. ad u. 62* **56** acris] agris **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **59** cydonia (cid-) **cdefr**: rhodonea **M**: cydonea (cid-) **M**$^{2}$**P**$^{2}$**Rωγ**

spicula — tamquam haec sit nostri medicina furoris,
aut deus ille malis hominum mitescere discat.
iam neque Hamadryades rursus nec carmina nobis
ipsa placent; ipsae rursus concedite siluae.
non illum nostri possunt mutare labores,
nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus
Sithoniasque niues hiemis subeamus aquosae;
nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum uersemus ouis sub sidere Cancri.
omnia uincit Amor: et nos cedamus Amori.'
    Haec sat erit, diuae, uestrum cecinisse poetam,
dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides: uos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas
quantum uere nouo uiridis se subicit alnus.
surgamus: solet esse grauis cantantibus umbra,
iuniperi grauis umbra; nocent et frugibus umbrae.
ite domum saturae, uenit Hesperus, ite capellae.

**MPR**

**60** sint **M** **62** nam **b** neque] nec **Rab** (*corr.* **a**[2]) rursus] drusum **M** (*corr.* **M**[A]) nec] neque **P** **63** rursum (*ex* rursusm) **M**[x] **67** aret] haeret *Isid. 6, 13, 3* **69** uincit **P**[2]ωγ, *CIL IV 3681*, *Macrob. 5, 14, 5 et 16, 7*, *DSeru.*, *Seru. ad buc. 2, 31*, *ad Aen. 3, 454 et 4, 697*, *Gramm.*: uincet **M**: uinct **P**: uicit **Ra** (*cf. georg. 1, 145*) **73** hora **P** (*corr.* **P**[2])

# INDEX NOMINVM

# GEORGICA

OPTIMIS DISCIPVLIS

QVOS IN PISANA SCHOLA NORMALI SVPERIORE

MVLTOS PER ANNOS

LATINAS LITTERAS DOCVI

# PRAEFATIO

*Difficile est Vergilium et sine interprete recte legere et cum interprete.*

Chr. Gottl. Heyne*

Virtutes possunt omnes facile in uitia abire nisi modus adhibetur: sicut animi fortitudo, deficiente moderatione, in audaciam peruertitur, sic dubitatio honesta in contumacem suspicionem aliquando mutatur. Itaque, cum eorum qui in arte philologa uersantur primum sit officium de rebus dubitare incertis, haec tamen dubitandi facilitas, si peruicax contra rerum ueritatem perstat, in uitium euadit. Quod ego timeo ne contigerit Ottoni Ribbeck et Remigio Sabbadini, qui, etsi critici summi, obstinato tamen animo post multos alios suspicati sunt Vergilium, secundis curis adhibitis, non solum aliquot in *Georgicis* mutasse uersus sed aliquot quoque priori editioni addidisse[1]. Haec quidem cum prima sit quaestio quae, quasi Sisyphium saxum, *Georgicon* editoribus immineat omnibus, desunt tamen satis certa argumenta quibus poetam uersus suos retractantem deprehendamus. Nam si acri iudicio omnia perpendimus testimonia quae Seruius perhibet, si omnes perscrutamur locos ex quibus nostra argumenta sint eruenda, si denique singulos *Georgicon* examinamus uersus qui tamquam per secundas curas additi uel retractati in suspicionem uocantur, criticos illos patet inepta persuasione esse deceptos.

Circumspectis ergo rebus omnibus subductisque rationibus, suspiciones eorum a falsa quadam opinione ortae uidentur esse, cui tamen (fateor) aliquantulum subest ueritatis: solent enim mendacia uel impudentissima nonnihil obtegere ueri. A Seruio principium.

* P. Virgilius Maro, uarietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Chr. Gottl. Heyne, Lipsiae MDCCLXVII–MDCCLXXV, tomus prior p. V.

1 *Prolegomena critica ad P. Vergili Maronis opera maiora*, scripsit Otto Ribbeck, Lipsiae MDCCCLXVI (= Hildesheim 1966 phot. expr.), pp. 22–48 (*De retractatis a poeta georgicis*); R. Sabbadini, *La composizione della Georgica di Virgilio*, «RFIC», 29, 1901, pp. 16–22.

Ad *buc.* 10, 1 et ad *georg.* 4, 1 Seruiana scholia tradunt librum *Georgicon* quartum a medio usque ad finem laudes habuisse Corneli Galli, qui, repetundarum crimine insimulatus dum praefectura Aegypti fungebatur, anno 27 uel 26 a. C. n. ad consciscendam sibi necem compulsus est; idcirco, his laudibus iussu principis deletis, poetam siue Aristaei siue Orphei siue utramque fabulam subdidisse. Equidem uerisimile duco Gallum a sodali Vergilio in *Georgicis* cursim laudatum esse utpote qui prouinciam illam regeret ubi inuenta esse ferebatur circa Canopum ars quaedam apes ad uitam reuocandi. Nam, cum de Aegypto fieret sermo, peridoneum certe erat amicum Gallum obiter laudari, at breuissime tamen, quandoquidem in *Georgicis* non solum raris paucisque uerbis Vergilius fautorem carminis Maecenatem honorauerat, sed etiam ad principem ipsum laudandum uersus destinauerat non multos. Itaque Galli laudes non tam multis ex uersibus constitisse credam quos tam ampla fabula exaequaret, sed potius perpaucis ex dictis, quae deinceps poeta eiecerit e contextu. Quid multa? nihil aliud Vergilius fecit nisi quod amici Galli memoriam suo de carmine erasit.[2]

Huc accedit quod Aristaei et Orphei epyllion minime licet pro aduenticio supplemento haberi: nam ipsis *Georgicon* neruis tam arte inhaeret ut aptissimus uideatur epilogus qui sub specie fabulosae narrationis cuncta Vergili praecepta de uita rustica in unum exemplum conglobet. Aristaeus enim, omnium ruris artium inuentor, non modo optimi agricolae manifestam exprimit imaginem[3], sed etiam documentum praebet quoddam constantiae ac pietatis priscae: quisquis enim lector ad Aristaeum spectat, tamquam aliquod sibi imitandum intuetur exemplar. Ex contrario Orpheus, qui quasi elegiacus poeta amissam Eurydicen uoce lamentabili decantat, inutilitatem elegorum suo ipsius exitio significat. Suauissimis huius cantibus Vergilius graue suum carmen opponit ita ut pateat talem nunc esse utiliter colendam Musam quae hominum mentes doceat animosque formet, non quae

2 Aliqua uestigia huius liturae suspicatus sum ad u. 4, 291 superesse: uide apparatum.

3 Cf. *georg.* 4, 327 *…frugum et pecudum custodia sollers.*

ἐρωτικὰ παθήματα molliter canat[4]. En causa cur hanc fabulam subditam esse per secundas curas non liceat suspicari: ea enim, cum *Georgicon* pars esse uideatur non surrogata sed penitus insita ac fere ingenita, ex poetae primitiuo consilio scaturiuerit admodum necesse est [5].

Si denique rogauerit lector quid sentiam de Seruianis scholiis illis, uel potius de antiquioribus grammaticis illuc receptis, sine ulla dubitatione damnabo istos qui alucinati crediderunt, cum in *Bucolicon* extrema parte esset de Gallo dictum, etiam *Georgicon* partem extremam ad Galli laudes totam esse a Vergilio primitus destinatam.

Attamen Otto Ribbeck maximam fidem Seruiano testimonio statuit esse tribuendam, immo etiam ex hoc ipso conclusit poetam prioris editionis suae locos complures retractasse; id quod etiam Remigius Sabbadini saepe est suspicatus. Hic enim, iudicio suo confisus, quos uersus secundis curis additos censebat, eos ἐν εἰσθέσει minime dubitauit scribere; ille quidem uersus nonnullos notauit ut inepte adiunctos nec satis concinne cum ceteris conciliatos[6]. Quorum uterque, in sua sententia perstans, plurima supplementa in priorem contextum incommode inserta esse maluit putare quam stilo Vergili uario atque effuso obsequi: gaudet poeta de alia re in aliam saepe transilire ordinemque disserendi conturbare communem, ne animi alacritas aut impetus ingenii nimia diligentia eneruetur. At ambo illi, quotienscumque oratio uidebatur a proposito deflectere aut succrescere licenter, se incidisse crediderunt in additamenta male accommodata, quasi

4 De hoc uide G. B. Conte, *The Poetry of Pathos. Studies in Virgilian Epic*, Oxford 2007, pp. 122–149.

5 Vsque ab ipso *Georgicon* exordio Aristaeus quasi rerum rusticarum tutela a poeta erat in auxilium inuocatus: uu. 1, 14 sq. *et cultor nemorum, cui pinguia Ceae / ter centum niuei tondent dumeta iuuenci.*

6 Cfr. e. g. *Proll.* p. 37 “Leniora omnia et iucundius coniuncta quamquam minus plena efficiuntur omissis bis ternis uersiculis 236–238 et 248–250”.

Vergilius sui ipsius esset ineptus interpolator[7]. Secundisne ex curis elegantissimi poetae deteriora orta esse additamenta! non equidem credere queo.

Ottonis Ribbeck etsi merita laudibus dignis nemo poterit remunerari (egomet uolui in *Aeneidos* praefatione debita mea persoluere), oportet tamen exprobrem uitia ex quibus Titanium illud philologorum saeculum aegrotauit cunctum: hic tantus uir, critica subtilitate unice praeditus, saepe maluit falsae persuasionis umbras consectari quam, munere famulari suscepto, ad profusam poetae elocutionem se conformare. Huius autem peccati ne Remigius quidem Sabbadini fuit immunis. At Otto Ribbeck non solum aliquot uersus in suspicione habuit tamquam secundis curis additos, sed aliquot etiam alios tamquam a librariis antiquis post poetae retractationem perperam collocatos: ego cum minime pro certo habeam ullos uersus secundis curis mutatos uel insertos esse, minime tamen necesse fuisse credo ut uersuum ordo (retractauisset sane sua carmina poeta) perturbaretur consequenter. Nihil igitur causae fuit cur Otto Ribbeck (Philippum Wagner uel alios secutus) tam multos uersus transponeret,[8] cum plerumque libri antiquiores ordinem emendatum seruare uideantur: saepe ille non textum poetae correxit sed ipsum poetam. Ego uero, qui aliquot uersus transponendos indicaui ut a librariis perperam collocatos[9], nullam culpam transferendam esse putaui in retractantem poetam, sed potius Fortem Fortunam deam incusaui quae librariorum oculos calamosque fallere interdum solet iniqua.

7 Ibidem p. 30–31 “Et quoniam ipsum iterum georgica poetam edidisse traditum non est, immo quid reliquisset, adhibitis exemplaribus ipsius manu emendatis explorandum erat a criticis, facilis suspitio est, incohata necdum in reliquum textum satis concinne inserta ne amicis quidem absolvere et in aptam formam redigere vel licuisse vel contigisse. Tales autem nobis existimare licet eos locos, qui vel cum sententiarum nexu et ordine satis conciliari non possint vel sine causa repetant mutatis uerbis quae in eandem sententiam paulo ante dicta erant.”

8 1, 100–103; 173–175; 257–258; 2, 39–46; 35–38; 373–375; 3, 120–122; 250–254; 264–265; 4, 47–50; 203–205; 236–238; 248–250; 290; 369; dubitanter 1, 297–310 ante 291.

9 Cf. 3, 120–122 post 96; 4, 203–205 post 196 (Schrader praeeunte).

Quid denique credam esse istam editorum opinionem de secundis curis poetae nisi quoddam idolum scholae uanissimum? Critica ratione freti, excutiamus indicia et argumenta, retineamus quae uerisimilia sint et comprobata, quae incerta abiciamus. Nec aliter est nobis iudicandum si de poeta semetipsum castigante consideramus. Seruius atque alii grammatici persaepe testantur Vergilium textum suum mutasse; tradunt enim talia: 'prior lectio, emendauit ipse, ipsius manu'. At si singulos locos attente examinamus, haec testimonia ab omni fide saepe abhorrere facile apparet. Vide e. g. 1, 6, ubi sine dubio *lumina* est legendum: «*numina* fuit, sed emendauit ipse», quod nullo modo credi potest: falsam enim lectionem sciolus quidam excogitauit qui perperam non Solem et Lunam putauit inuocari (ut legitur quidem in Varronis prooemio) sed deos Liberum et Cererem, qui proximo in uersu nominantur[10]. Vide etiam 1, 12 (de Neptuno) *fudit equum*: «antiquissimi libri *fudit aquam* plerique habuerunt … sed melius *equum* … in authentico[11] *aquam*, ipsius manu *equm*», id quod pariter absurdum uidetur esse. Multas eiusmodi fabellas apud Seruium ceterosque grammaticos inuenimus nullis fundamentis innisas[12], quarum unam tantum memorabo: ad u. 2, 344 sq., ubi legitur *frigusque caloremque / inter*, Seruius qui dicitur Danielinus ita explanat: «fuit autem prior lectio *frigusque calorque*, ut Plautus '*neque frigus neque calor metuo*' … aliter hypermetrus uersus erit»; equidem nescio an Seruius Danielinus pro certo habuerit

10 Vide M. L. Delvigo in «RFIC» 83 (1990), 215–228.

11 Quid 'authenticus' ualeat ambigitur, attamen liber quidam designari uidetur quem Vergili idiographum ueteres grammatici esse censebant uel ab ipso Vergilio emendatum. Cf. J. Zetzel, "*Emendaui ad Tironem*"*: Some Notes on Scholarship in the II Century A. D.*, in «HSCP» 77 (1973), 236; S. Timpanaro, *Per la storia della filologia virgiliana antica*, Roma 1986, 186 n. 11; Idem, *Virgilianisti antichi e tradizione indiretta*, Firenze 2001, 148.

12 Attamen puto ab antiquis grammaticis nonnullas lectiones traditas esse ueras, quas ego in *Aeneida,* Sebastiano Timpanaro et Mariae Aloisiae Delvigo adsentiens, consultissime recepi (uide *Aeneidos Praefationem*, XVI); nam Seruius ceterique grammatici, quamuis cum poetae ueris lectionibus non paucas commiscuissent deprauatas, aliquot tamen lectiones ueras, sed de nostris optimis codicibus dilapsas, seruauerunt. Oportet ergo ab infelici lolio triticum discernere.

resipiscentem Vergilium sua ipsius manu *calorque* in *caloremque* mutasse, at credo a quodam grammatico, qui hypermetrum uersum[13] aegre ferebat idemque uetustis uerbis delectabatur, hoc mendacium consulto esse fictum[14].

His ineptiis Otto Ribbeck aliique editores nullam uidelicet tribuerunt fidem, et tamen, qua erant peruicacia, crediderunt se posse aliquot locos ut secundis curis retractatos indicare; quod mihi uix credibile uidetur esse. Nam ex plurimis testimoniis constat Vergilium uersus suos iterum atque iterum esse solitum corrigere atque usque adeo retractare quoad contentus esset: minime scriptione recenti acquiescebat sed, quotienscumque mutauerat uel poliuerat carmen, iam ulteriorem meditabatur limae laborem[15]; at scilicet, prout textum ille suum retractabat, proinde prior carminis facies abolebatur atque plane peribat. Quis igitur hodie quid prius scriptum fuerit recte ac merito conicere potest? aut quid commodi possumus ex huiusmodi coniecturis capere nos ipsi? Spe uana potius capiemur in Vergili poeticam officinam nosmet subire posse[16]. Licet opinemur Vergilium, illis Galli laudibus erasis, iterum *Georgica* edidisse nonnullosque uersus etiam mutasse, nihilominus moneo ne quis nostrum ultra poetae supremam manum resilire speret, quae sola erit nobis adpetenda, quae sola potius erit habenda pro termino ipso legitimae inuestigationis; sin minus, in uaniloquia tantum incurremus, inanes sine corpore umbras insecuti. Desinamus ergo irrita conicere atque oraculi uice accipiamus aureum illud dictum quod firmissime

13 Cf. app. crit. ad 2, 69.

14 Cf. S. Mariotti, in «Paideia» 5 (1950), 28.

15 Si qua fides est habenda, uide Gell. 17, 10, 3 ‘Amici … familiaresque P. Vergilii in his, quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt parere se uersus more atque ritu ursino. Namque ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque lambendoque id postea, quod ita edidisset, conformaret et fingeret, proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie et imperfecta, sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris et uultus liniamenta’; cf. ‘carmen se ursae modo parere et lambendo demum effingere’ (*Vita Donati* 22).

16 Vide T. Dorandi, *Den Autoren über die Schulter geschaut: Arbeitsweise und Autographie bei den antiken Schriftstellern*, in «ZPE» 87 (1991), 11–33.

praecipit de iis rebus satius esse silere de quibus nihil possit certum dici.

* * * * *

Praeposterum ordinem sum secutus: prius *Aeneida* recensui, deinde *Georgica*. Timueram enim ne uires me deficerent antequam totum expleuissem laborem: at deos, ut nunc apparet, praeter spem habui propitios. De antiquissimis et magnificentissimis libris qui Vergili opera nobis tradiderunt in *Aeneidos Praefatione* iam fuse disserui[17], quorum plerosque (**A**, **F**, **G**, **V**) deploramus ita esse mutilos et laceros ut uel nihil uel parum prosint[18]; fere ergo ad **M P R** necesse est confugere, quorum consensus magni est aestimandus. Plurimum pollent ad textum constituendum Mediceus et Palatinus, at neuter eorum contra alterum praecellere aperte uidetur, quamquam Mediceum puto aliquanto frequentius lectiones seruauisse ueras[19]. Romanus autem, qui persaepe quasi nimis mendosus uituperatus est (nescio quanta aequitate)[20], se ex culpa eximit interdum, uelut e. g. in 4, 509, ubi solus lectionem seruat ueram *flesse sibi et*, aut in 2, 382 ubi incorrupte legit *ingeniis*, aut etiam in 1, 360, ubi *a curuis* tuetur (plerisque Carolinis libris consentientibus); bene etiam 3, 433 *exsilit*.

17 P. Vergilius Maro, *Aeneis*, recensuit atque apparatu critico instruxit G. B. C., 'Bibl. Teubneriana', Berolini 2009, VI–XI.

18 At solus ex antiquis **G** in 4, 415 ueram seruat lectionem *defundit*; solus **A** in 1, 135 pro *ut* legit *et*, quod non spernendum uidetur (probauit Wagner, ego incertus recusaui). Contra alios optimos libros emendate legit **V** in 2, 296 *pandens* et in 4, 461 *impleuit.*

19 Lectiones enim, quas equidem ueras credo, has solus **M** seruat (nonnumquam Carolinis aliquot consentientibus libris): 1, 218 *aduerso*; 337 *caelo*; 418 *uuidus*; 457 *moueat*; 470 *obscenaeque*; uersum 2, 129 secludendum omittit; 330 *tepentibus*; 341 *terrea* ($\mathbf{M}^{A}$); uersum 433 secludendum omittit; 469 *et*; 514 *penates*; 3, 85 *fremens*; 219 *Sila* ($\mathbf{M}^{x}$); 223 *longus*; 257 *umeros*; 323 *mittet*; 4, 141 *tinus*; 331 *duram*; 348 *fusis dum*; 361 *speciem*; 482 *implexae*; 493 *auernis*. Quas solus **P** habet hae sunt: 2, 174 *artem*; 181 *gaudent*; 196 *ouium fetum*; 443 *pinus*; 456 *rh*(*o*)*ecumque*; 3, 3 *carmine* (habet et $\mathbf{F}^{2}$); 305 *hae*; 398 *etiam*; 535 *arduos*; 4, 125 *arcis*; 455 *ad meritum.*

20 Vide *Aen. Praef.* XXV. Hoc quoque codicis Romani auctoritatem infirmat, quod antiqui et fide digni correctores ei fere defuerunt.

In *Georgicis* edendis easdem uidelicet rationes regulasque sum secutus quas iam in *Aeneide*: eas omnes inuenies ibi explicatas nec ulla est causa cur nunc iterum exponam[21]. Apparatum criticum talem paraui ut esset non receptaculum omnibus codicum mendis uitiisue confertum, sed potius uariarum lectionum recensus ex quo iudicium quisque suum facile formaret. Tam consulte enim apparatus oportet constituatur quam textus ipse. Itaque minima scripturae uitia, utpote nullius momenti, plerumque non memoraui; perdiligenti autem adnotatione locos illos instruxi ubi uariae concurrebant lectiones quae utique ualidae uel exquisitae uel ad ueram librariorum indolem declarandam aptae uiderentur esse. Nempe uetustiorum codicum lectiones etiam prauas nonnumquam rettuli in apparatum, ueritus ne ulla ambiguitas circa potissimos testes a silentio meo oriretur; lectiones quoque multas addidi ex Carolinis libris in hanc editionem de professo collatis, ut nostrae explorationis noui fructus memoriae mandarentur. Non semper apparatum adhibui qui positiuus dicitur nec semper qui negatiuus, at prout res poscebat uariaui: testificationis euidentiam attente sectatus sum, breuitatem non minus attente.

Vt apparatus iure criticus appellari posset, praecipue uolui ut de constituto textu, quasi uoce mea locutus, aperte argumentaretur. Itaque quotiens aliam firmare aliam reicere studebam lectionem, quotiens uersuum ordinem aut mutare aut recte comprobare oportebat, quotiens denique refutandae erant uulgatae et inueteratae opiniones, tunc nonnullis adnotatiunculis apparatum ornaui ut plane meam sententiam aperirem; idcirco non sine culpa aliquando loquacitati indulsi. Attamen quos emendatores non sum secutus, eorum parcus laudator fui et infrequens: nam de iis tantum mentionem feci qui, etiam infeliciter emendantes, tamen ad textum rectius interpretandum aut ad remedia meliora excogitanda possent sollicitare lectores.

Opus meum a schola manauit; nam postquam *Aeneida* edideram, ultra biennium *Georgica* discipulis praelegi. Non possum reticere quantis illi me iuuerint officiis, alii codices conferendo, alii uarias quaestiones inuestigando, omnes uniuersi argumentando subtilitate multa. Senecae enim consentiendum esse credo, qui

21 Vide pp. XIX–XXI.

praeclare scripsit 'homines dum docent discunt': equidem plurimum didici. Doctae duae feminae nec non peritissimae, apud Pisanam Scholam Normalem contubernales, Iulia Ammannati Siluia Ottaviano, mihi cotidie adfuerunt, quarum haec libros Carolinae aetatis quotquot supersunt omnes indagandos conferendosque curauit, illa codices antiquiores capitalibus litteris scriptos, praesertim **M P R**, tanto palaeographico acumine explorauit ut singulas distinctius internouerit (quantum scilicet licuit) manus correctorum. Vtraque moderante, plurimis in nostra schola palaeographica colloquiis habitis, factum est ut octo illi Carolini libri a prioribus editoribus nondum collati communi omnium disputatione examinarentur. Verum ut fatear, multas Siluiae Ottaviano debeo grates: illa enim in Francogallicis Germanicis Helueticis Belgicis bibliothecis libros Carolinos contulit qui inexplorati manebant nobisque suae inuestigationis fructus benigne commodauit. De his octo libris in *Aeneidos Praefatione* singillatim iam dixi[22], quorum haec sunt sigla: **g** (Parisinus Latinus 7925), **i** (Reginensis 1669), **j** (Bruxellensis Bibl. Reg. 5325–5327), **k** (Hamburgensis scrin. 52)[23], **w** (Guelferbytanus Gudianus 66), **x** (Montepessulanus H 253), **y** (Parisinus Latinus 10307), **z** (Parisinus Latinus 7927)[24]. Eadem Siluia Ottaviano, condiscipulis aliquot consociatis, ceteros libros Carolinos ab Ottone Ribbeck (**abc**) et a Rogero

22 Vide pp. XXI–XXV.

23 Codicis Hamburgensis lectiones in *Georgicon* apparatum a Manfredo Erren relatae sunt: falso tamen uir doctus ille contendit (in praefatione p. 25) uersus 4, 53–566 deesse, qui reuera suo loco leguntur manu eadem transcripti quae codicem scripsit totum.

24 His adiunxi **l** (Vat. Lat. 3252), usitate 'Vergilium Bembinum' appellatum, quem descriptum a Silvia Ottaviano in *Praefatione ad Bucolica* habebis (p. 1–15). *Georgicon* nonnisi paucos continet uersus (1, 1–494) nec multum uidetur a **z** distare.

Mynors (**defhrstv**) iam collatos denuo contulit, ut uitia eorum fortuita corrigeret[25].

Quibus cognationibus sint Carolini libri inter se coniuncti iam in *Aeneidos* editione indicaui (*Praef.* XXI–XXV) et noua codicum exploratio id plane confirmat quod illic scripsi. Patet nunc necessitudo proxima inter **d** et **w**[26] et satis certa propinquitas inter **f** et **g**[27]; aliquanta denique elucet adfinitas non solum inter **a**, **e** et **v**[28] sed etiam inter **b** et **r**[29] (ut recte Mynors et Kaster statuerant). Hoc quoque elucet, quod nonnulli Carolini codices passim lectiones ueras seruauerunt quae, discrepantes a uulgato Carolinorum

25 Aliquot desiderantur uariae lectiones quae neglegenter sunt omissae: e. g. etiam **e** habet *nec* (1, 126), *aspectabis* (1, 158), *fremens* (3, 85); etiam **s** *uincit* (1, 145), *casu* (1, 340), *caeli nobis* (1, 503); etiam **t** *rastris* (1, 213), *aut* (2, 220), *prouocet* (3, 194), *fodere* (4, 43). Saepe autem euenit ut, quamuis fere cuncti Carolini codices consentiant in eadem uaria lectione, nonnisi pauci apud alios editores commemorentur: cf. e. g. 1, 287 *melius gelida* **ω** (praeter **bjrs**). Obiter aliquas adnotationes ex nouo interposui in apparatum (cf. e. g. 3, 84 *tremet* **efghijx**, *tremat* **r**). Minimos lapsus passim correxi.

26 e. g. 4, 173 (*antrum*); 4, 181 (*plena*); 4, 211 (*parthorum populi*); 4, 338 (*thalique cymodoque*); 4, 431 (*despersit*); 4, 434 (*reduxit*); 4, 516 (*nullique*); 4, 540 (*intactas*).

27 e. g. 1, 283 (*flumine*); 1, 438 (*condat*); 2, 129 (*miscuerintque*); 2, 343 (*possint*); 2, 362 (*adolescet*); 3, 146 (*lucus*); 3, 297 (*felicumque*); 3, 331 (*ac*); 3, 456 (*omnia*); 3, 492 (*at*); 4, 20 (om. *aut*; *adumbret*); 4, 21 (*ducunt*); 4, 66 (*condunt*); 4, 202 (*refingunt*); 4, 238 (*uulnera*); 4, 243 (*stilio*); 4, 246 (*durum*); 4, 350 (*sedibus*); 4, 446 (*domus*); 4, 488 (*subito*); 4, 522 (*direptum*).

28 e. g. 1, 158 (*aspectabis*); 1, 182 (*domus*); 1, 284 (*uites*); 1, 398 (*litora*); 1, 446 (*erumpent*); 2, 129 (*miscuerantque*); 3, 141 (*agri*); 3, 195 (*ponet*); 4, 439 (*uinclisque*).

29 e. g. 1, 37 (*ueniet*); 1, 133 (*excuderet*); 1, 189 (*superat*); 2, 124 (*aut*); 2, 255 (*praedicere*); 2, 360 (*quorum*); 2, 409 (*primum*); 2, 480 (*residunt*); 2, 542 (*spumantia*); 3, 274 (*exspectantque*); 3, 305 (*leuiora*); 3, 310 (*ubera*); 3, 329 (*aut*); 3, 331 (*aut*); 3, 474 (*aut*); 3, 548 (*nec iam mutari*); 4, 313 (*uel*); 4, 327 (*ac pecorum*); 4, 368 (*rumpit*). Alios errores, quibus **b** et **r** uidentur coniuncti, codicibus denuo collatis in lucem protulimus: e. g. 1, 13 (*fundit*); 1, 192 (*terit*), ubi tamen de codice **r** mentionem nullam faciunt ceteri apparatus.

consensu, e communi naufragio uidentur enatasse.[30] Quod maxime refert, ab his codicibus lectiones aliquot recipimus genuinas quae de nostris antiquissimis libris praemature exciderunt[31] (minime tamen me fallit harum lectionum plerasque Seruianis commentariis incognitas non esse). Denique arbitror in textum constituendum *Georgicon* plus quam ceterorum Vergili carminum libros Carolinos proficere posse. Nam satis constat non in tanto gentium fauore *Georgica* antiquitus fuisse quanto *Bucolica* et *Aeneida*: cum igitur opiner didascalicum carmen minus adsidue celebratum esse, minus adsidua contaminatione libri manuscripti inquinati sunt[32]; en cur de antiquis codicibus nonnullae lectiones facilius euaserint intactae.[33]

Id autem oportet lectores ego nunc commoneam non eadem necessitudine in *Georgicis* codices **R** et **a** coniunctos esse qua in *Bucolicis* et in plurimis *Aeneidos* locis (v. Ribbeck, *Proll.* p. 329; Mynors *praef.* p. IX)[34]. Etiam codex **γ** denuo collatus est, qui, cum in *Aeneide* plerumque proximus esse codici **P** uisus sit, nullam uero adfinitatem cum illo profert in *Georgicis*; nihilo minus tamen

30 e. g. 1, 36 (*sperant* **MPRabcfn**); 1, 315 (*lactentia* **M$^{A}$Pbgsyzγ**); 1, 351 (*possemus* **MRbgjr**); 1, 366 (*umbram* **MRbjryγ**); 2, 472 (*exiguoque* **MPRbr**); 3, 78 (*ponti* **M$^{x}$PRabdks**); 3, 127 (*nequeat* **M$^{A}$Raky**); 3, 248 (*siluas* **MPRbgjrt**).

31 e. g. 1, 383 (*et quae*); 1, 461 (*uehat*); 2, 8 (*dereptis*); 2, 52 (*uoces*); 2, 256 (*quis cui*); 3, 91 (*achilli*); 3, 141 (*saltu*); 3, 475 (*iapydis*); 4, 148 (*me memoranda*); 4, 199 (*nixibus*); 4, 230 (*ora foue*); 4, 241 (*suffire*).

32 Id nobis esse indicio potest quod **P$^{2}$**, praestantissimi codicis Palatini adsiduus corrector, sub aeui antiqui occasum *Bucolica* et *Aeneida* diligenter recognouit, *Georgica* paene neglexit: nam ex u. 1, 322 correctioni supersedit nec post lacunam qua hodie **P** laborat (uu. 1, 323 – 2, 138) operam suam perfecit.

33 His de rebus plura inuenies in pagina electronica Pisanae Scholae Normalis Superioris www.sns.it/en/ricerca/lettere/manoscrittivirgilio.

34 Vide quae scripsi in *Aeneidos Praefatione* p. XIX n. 38.

nonnullas et eximias et raras seruat lectiones aliunde depromptas.[35] Cum *Georgicon* uu. 2, 53–260 omissi essent in **γ**, uu. 53–234 additi sunt inserto folio quod olim deperditum nunc in bibliotheca Vniuersitatis Goettingensis custoditur[36]: lectiones quae ibi inueniuntur meo in apparatu siglo **γ*** signaui.[37]

Iuxta codices Vergilianos nonnullae grammaticorum interpretationes praesto sunt quae aliquid possunt auxilii editoribus afferre: non modo Serui commentarium dico, uerum eam etiam quae nominatur *Georgicorum breuis expositio*[38] (ex impropria consuetudine sub nomine *Philargyrii* peruulgata) nec non et *Scholia Bernensia*[39] in marginibus scripta codicum **a** (*Bern. 172*) et **e** (*Bern. 167*): quae, cum neutrum horum codicum in lemmatibus sequantur, fonte ex alio censeo esse collecta. Hanc eandem originem, ut

35 Vide e. g. 2, 296, ubi **γ** (cum **V** consentiens) ueram lectionem *pandens* seruat (*tendens* **MPRV²ω**); 2, 469 (*et* **Mcγ**, *at* **Pωγ¹**, *ad* **R**); 3, 257 (*humeros* **Mgrγ**, *-rosque* **PRωγ¹**); 3, 395 (*ipse* **Mγ**, *ille* **PRω**); 4, 348 (*fusis dum* **Mγ**, *d. f.* **GPRω**). Propediem Iulia Ammannati et Antoninus Pittà opusculum diuulgabunt ex quo apparet codicem **γ** haudquaquam in *Georgicis* a codice **P** manasse («MD» 2013).

36 De his uersibus in **γ** omissis ac postea suppletis bene docet *Vergil*, hrsg. von J. und M. Götte, München 1981⁴, pp. 469–477. Si plura desideraueris, scito uu. 53–181 redintegratos esse a quodam scriba qui eiusdem aetatis uidetur esse ac prior scriba; uu. 182–234 autem duae recentiores manus addiderunt; omissi sunt uu. 97–117, erasi uu. 152–168.

37 Recentior manus (saec. XI–XII) adhibito folio separato uu. 53–211 post u. 293 ex alio fonte redintegrauit.

38 *Seruii Grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii*, uol. III (2), *Appendix Seruiana ceteros praeter Seruium et Scholia Bernensia Vergilii commentatores continens*, recensuit Hermannus Hagen, Teubner, Leipzig 1902; *Scholia Bernensia in Vergilii Bucolica et Georgica*, uol. II (1): *In Georgica Commentarii* (*Prooemium/ Liber I 1–42*), praefatus est, textum edidit, adnotationibus, indicibus et appendice instruxit L. Cadili, A. M. Hakkert, Amsterdam 2003.

39 *Scholia Bernensia ad Vergilii Bucolica atque Georgica*, edidit emendauit praefatus est H. Hagen, in «Jahrbücher für classische Philologie», IV Suppl., Leipzig 1867 (anast. Olms, Hildesheim 1967); *Scholia Bernensia*, ed. L. Cadili, cit.

Hermannus Hagen dilucide docuit[40], habere uidentur aliquot lectiones in codicis **a** marginibus ad *Georgica* passim appositae minusque saepe ad *Aeneida*: siglo **a²** adhibito, tantummodo eas in apparatu commemoraui[41] quae ad textum constituendum ualerent; mera glossemata silentio praeterii.

Magnopere mihi sum gauisus quod Siluia Ottaviano, iam pridem rerum Vergilianarum sagacissima inuestigatrix, tandem consilium cepit ut ipsa, sub uno uexillo mecum commilitans, *Bucolica* ederet: dimidiatus fuit labor, uis intellegendi duplicata. Huic doctissimae feminae duco laudi quod non modo Carolinorum codicum omnium uulgauit lectiones, sed etiam fere intactum manipulum codicum explorauit qui, Beneuentanis litteris exarati in inferiore Italia inter decimum et duodecimum saeculum, eo quidem utiles sunt habendi quia, cum de regione uenerint aliquantum seposita et aduenticiis immissionibus parum aperta, sinceras seruare possunt lectiones. Hi Longobardici libri, cum nonnullis communibus mendis coniuncti esse uideantur[42], in unam familiam (Λ) expedit ut conglobentur: quos omnes uidebis supra descriptos in *Praefatione ad Bucolica* (pp. 15–19); nos in *Georgicis* eadem sigla mutuati sumus (uide conspectum codicum nostrum p. 122).

40 O. Ribbeck, *Proll.* p. 329–330: "Hermannus Hagen pergratis litteris mecum communicauit uarias scripturas, quae in codicis Bernensis 172 margine eis Vergilii carminibus, quibus commentarius ille ascriptus est, eadem qua textus ipse manu et (ut suspicatur Hagen) ex eodem, unde scholia sunt orta, codice adpositae sunt".

41 E. g. uide 1, 418 *uices*; 2, 237 *exerce ac*; 2, 294 *nepotes*; 2, 295 *uiuendo*; 3, 85 *fremens*; 3, 190 *acceperit*; 3, 329 *iubebo*; 4, 351 *exsiluere* (quod Ottoni Ribbeck placuit); 4, 493 *Auernis*; 4, 509 *astris.*

42 Errores aliquot uniuersae familiae communes inueni: e. g. 2, 82 *miraturque*; 2, 178 *creandis*; 2, 247 *amaror*; 2, 340 *primam*; 3, 63 *iuuentus*; 4, 43 *fodere*. Horum codicum nonnulla pars ex communibus mendis uidetur consociata: 1, 310 *glacies* **noδη**; 2, 78 *innodes* **noδ**; 2, 360 *inniti* **noδ**; 2, 369 *reformident* **nδη** (*formident* **o**); 2, 427 *et*] *ut* **noδη**; 2, 532 *uitam ueteres* **Poζη**; 2, 542 *equo* **noη**; 3, 61 *desinet* **oδε**; 3, 69 *mauis* **Mnoδ**; 3, 308 *largi*] *pressi* **oη**; 3, 310 *mammis*] *palmis* **oζη**; 3, 448 *perfundunt* **δη** (*coniungunt* **ζ**); 4, 421 *fidissima* **noδη**. Vbi autem Carolini libri (Φ) plerique uel omnes errant, bene legunt Longobardici (Λ): 1, 287 *gelida melius*; 2, 330 *tepentibus*; 2, 488 *conuallibus*; 3, 85 *fremens*; 3, 127 *nequeat*; 3, 249 *agris*; 3, 288 *hic labor*; 4, 200 *e foliis*; 4, 233 *plias*; 4, 262 *stridit*.

In *Georgicis* non multos inueni locos ambiguos uel obscuros; in angustias tamen nonnulla me adduxerunt uerba ad rusticam uel pastoralem materiam praecipue pertinentia. Exempli gratia afferam 2, 302 *neue oleae siluestris insere truncos* (*oleae* **PRωγ**, *olea* **M**), ubi *insere* idem quod *intersere* crederem ualere posse ('uitibus ne interponas oleastros qui eas adminiculent'), si in libro de arborum cultura haec significatio umquam occurreret[43]; sin aliter *insere* de insitione proprie significat, nescio an *olea* sit potius legendum (sic enim Wagner et Ribbeck), sed mihi molestum est de oleae cultura intempestiuam hanc fieri mentionem in parte illa secundi libri quae tantummodo ad uitis culturam spectat.[44] Etiam uersus 4, 229–230 *haustu sparsus aquarum / ora foue* me suspensum tenuit: buccane est aquis colluenda an totus uultus conspergendus? attinet hoc praeceptum ad rusticam religionem (quasi sacra iubeatur purgatio) an os colluere oportet ne graueolenti halitu apes offendantur neue ullo foetore mella corrumpantur? Cum quiddam religiosum huic praecepto subesse uisum sit, praua lectio excogitata est *ore faue* («cum religione ac silentio accede» DSeru.); inest praeterea in Serui interpretatione aliquid implicatum, ne dicam absurdum (cf. «*ore foue* ipsos haustus scilicet et hoc dicit: spargendo aquam imitare pluuiam»: i. e. 'buccis inflatis in aluearia exspue aquam'). Vtcumque res ista se habet, apiariorum mos ille communis ac fortasse planus tam poetica obliquitate a Vergilio descriptus est ut mihi parum liqueat. Si praeterea u. 2, 65 consideras, peculiarem uerborum uim moneo ne neglegas: nam, cum hic locus totus sit de arboribus quae artificiose creantur, non potest uerbum illud *nascuntur* idem ualere ac 'sponte sua surgunt', itaque coniungendum est cum *plantis* (i.e. 'e radicis surculis gignuntur').[45]

* * * * *

43 Cf. uu. 33, 50, 69, 73.

44 Optimi quoque interpretes in angustiis uersari uidentur: cf. Mynors, adnot. ad l. (Oxford 1990); fortasse melius R. Thomas ad l. (Cambridge 1988).

45 Male distinxerunt Mynors et Geymonat: uide adnotationem meam ad locum.

Copiose de rebus orthographicis in *Aeneidos* editione praefatus sum; quamobrem minime necesse est, paucis modo annis interiectis, consilia mea in hac praefatione iterum exponam aut reuocem: *nunc quoque mens eadem perstat mihi*. Edoceantur, quaeso, lectores argumentis exemplisque plurimis illuc congestis. Me autem nego id studuisse ut scriptionem libris antiquioribus traditam ex lapidum titulis aeui Vergiliani corrigerem: nam tituli lapidarii ipsi inaequales ac tales plerumque sunt qui non unam eandemque sequantur formulam scribendi. Res non tam explorata est ut auctoritatem ueterum grammaticorum qui Vergili textum curauerunt spernamus inconsiderate aut scriptionem reiciamus a librariis antiquioribus traditam: quid enim hi uel illi nouauerint aut potius nimio uetustatis studio abducti mutauerint ignoratur sane; attamen, si quid minus uulgare contra consuetudinem nunc hic nunc illic seruatum inueni, dignum mihi uisum est quod caute examinarem et, dummodo probabile esset, tum denique probarem.

Tam mutabiles et aequalitatis incuriosi uidentur omnibus locis esse optimi codices ut, siquis Vergili singulas scribendi proprietates studeat seruare, saepe haereat incertus. At si plerique ex antiquioribus libris manuscriptis consentientes sunt, si leges dicendi a grammaticis statutae minime repugnant, facere non possumus quin libros illos, multa quidem habita cautione, sequamur. Res enim multae cautionis ea mihi uidetur esse quae ad accusatiuos plurales attinet tum in *-is* tum in *-es* exeuntes: Vergilius enim, consilio auris suae usus, alterutram prout concursus uocalium postulabat praetulit terminationem[46]. Has terminationes, ut manifestum est, saepe librarii exaequabant indiligenter aut ad consuetudinem scribendi propriam temere accommodabant; sed nonnulli editores sinceram ueramque orthographiam nunc ex hoc nunc ex illo codice recuperari posse crediderunt. Cum admodum incertum sit aleaeque plenum inter has terminationes deligere, bonus editor auctoritati ueterum librariorum, quoad liceat, obtemperet nimirum oportet, qui tamen non semper unanimi consentiunt sed potius tam inconsiderate uariant ut ipsa uerborum compages nonnumquam labefacta uideatur. Quid enim dicam de singulari nominatiuo *fortis Etruria* (2, 533) in *fortes* peruerse mutato? quid de genetiuo

46 Cf. *Aeneidos Praefationem*, p. XXVI.

*ignobilis oti* (4, 564) in *ignobiles* perperam conuerso? quid de genetiuo *hiemis* (4, 156) qui in *hiemes* est corruptus et de genetiuo *noctis* (1, 426) pro quo *noctes* legitur? Haec quidem attuli exempla ex codice **M**, quem diligentius perscrutatus sum[47], sed multa eiusdem generis facile reperies in ceteris codicibus antiquis (minus multa forsitan in **P**, quem in rebus orthographicis paulo fideliorem opinor fuisse)[48]. In tanta indiligentia librariorum, terminationibus tam frequenter permixtis per errorem, pro erroribus necesse est habeas etiam nominatiuos plurales in *-is* exeuntes, qui, cum in antiquis libris admodum raro appareant[49], in textum tamen a quibusdam editoribus incaute inconsulteque recepti sunt, tamquam si gemmae essent nitidiores (nec nos dubitamus quin prorsum respuendi sint)[50]. Sed de rebus orthographicis hactenus.

Cum non solum uetera scriptorum idiographa sed exemplaria etiam de iis protinus descripta auxilio certo caruerint interpunctionis, est tamen prouidi editoris singulas orationis partes – siue membra longiora siue minuta cola – hoc proposito distinguere ut sententiarum cursus quam maxime definitus sit et apertus. In recta distinctione non dubito quin rectae interpretationis initium ipsum positum sit; namque ego, uersibus bene distinctis, aliquot locos potui in integrum restituere qui male uidebantur claudicare: uide e. g. 1, 181 *tum inludunt*; 1, 383–385 *uariae…uolucres… infundere rores*; 2, 65 *plantis … nascuntur*; 2, 71 *castaneae fagus ornusque … flore piri*; 2, 136 *ditissima terra*; 3, 401–402; uide etiam 4, 243; 4, 251–264.

47 Si qua ex codice **M** exempla quaesiueris, accusatiuos plurales in *-is* exeuntes saepe uidebis in *-es* improprie mutatos: librarius enim pro *orbis* scripsit *orbes* (2, 153), pro *conuallis* (3, 276) *conualles*, pro *inertis* (3, 523) *inertes*, uitioseque maluit *uites* (2, 299: *uitis* **PR**), *omnes* (2, 335: *omnis* **PR**), *graues* (3, 526: *grauis* **PR**), *salubres* (3, 530: *salubris* **PR**), *communes* (4, 153: *communis* **FP**), *tenaces* (4, 161: *tenacis* **FP**), *felices* (4, 329: *felicis* **P**).

48 At uide in *Aeneidos Praefatione* p. XXVIII adnot. 63.

49 E. g. 1, 161 *messis* (**AP**); 1, 390 *carpentis* (**M**); 2, 434 *humilis* (**M**); 3, 198 *natantis* (**F**); 4, 121 *uiridis* (**FMP**, *uirides* **M**$^2$); 4, 472 *tenuis* (**M**); cf. Ribbeck, *Proll.* 405.

50 Vide Neue-Wagener I$^3$ 381–83; Kühner 287, 332–3; Leumann-Hofmann 440, quorum omnium iudicio hi nominatiui per falsam analogiam conficti sunt; uide etiam F. Bömer, *Der Akkusativus pluralis auf* -is, -eis *und* -es *bei Vergil*, «Emerita» 21 (1953), 218–220.

Dum per quadriennium *Georgica* curabam, adsidue mihi adfuerunt duo fidissimi sodales, Emmanuel Berti Lisa Piazzi, quorum nescio alacritatem an ingenium magis laudem. Nonnihil auxili interdum dederunt David Butterfield, Lucius Ceccarelli, Rolandus Ferri, Armandus Golzio, Laura Micozzi, Iulianus Ranucci, Ernestus Stagni, Iulius Vannini. Saepe autem accidit ut Michael Reeve, optimus criticus optimusque amicus, si quando in angustiis uersarer, mihi promptus subueniret. Maximae gratiae mihi agendae sunt plurimis bibliothecarum praefectis et custodibus, quorum alii me meosque socios humanissime exceperunt, alii mihi photographicas codicum schidas comiter commodarunt. Superiore anno cum Cantabrigiensibus collegis circa locos in *Georgicis* deprauatos disserui fructuose, nec mihi minus profuerunt publicae disputationes quas habui in Germanicis Athenaeis: his omnibus doctis gratiam debeo quia lucubrationes meas acri iudicio examinarunt. Restat nunc ut carissimo discipulo Nicolao Lanzarone, qui tam sollicite plagulas corrigendas perlustrauit, meritas tribuam laudes.

Scribebam Pisis<br>e Schola Normali Superiore<br>mense Octobri MMXII

G.B.C.

# TABVLA NOTARVM
## QVIBVS AVCTORES ET TESTES SAEPIVS ADHIBITI IN APPARATV INDICANTVR

| | |
|---|---|
| *ps. Acro* | Acronis quae dicuntur scholia in Horatium (ed. O. Keller, Lipsiae 1902–1904). |
| *Agroec.* | Agroecius (saec. V), *Ars de orthographia* (*GLK* VII; ed. M. Pugliarello, Milano 1978). |
| *Ambros.* | Ambrosius (saec. IV ex.). |
| *Amm. Marc.* | Ammianus Marcellinus (saec. IV ex.). |
| *Arus.* | Arusianus Messius (saec. IV), *Exempla elocutionum* (*GLK* VII; ed. A. Della Casa, Milano 1977; A. Di Stefano, Hildesheim 2011). |
| *Asper* | Aemilius Asper (saec. III?), *Grammatica Vergiliana* (ed. H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902, ex codice rescripto Parisino 12161, saec. V). |
| *Aug.* | Aurelius Augustinus (354–430). |
| *Auson.* | D. Magnus Ausonius (saec. IV). |
| *Char.* | Flauius Sosipater Charisius (saec. IV), *Ars grammatica* (*GLK* I; ed. C. Barwick et F. Kühnert, Lipsiae 1924, $1964^2$). |
| *Cledon.* | Cledonius (saec. V?), *Ars grammatica* (*GLK* V). |
| *Colum.* | L. Iunius Moderatus Columella (saec. I), *Res rustica* (ed. R.H. Rodgers, Oxonii 2010). |
| *Diom.* | Diomedes (saec. IV), *Ars grammatica* (*GLK* I). |
| *Don. ad Ter.* | Aelius Donatus (saec. IV), *Commentum Terenti* (ed. P. Wessner, Lipsiae 1902–1905). |
| *DSeru.* | Seruius qui dicitur Danielis uel auctus (quae scholia Seruianis addita partim primus edidit P. Daniel, Parisiis 1600; uide *Seru.*). |
| *Enn.* | Q. Ennius (239–169 a.C.), *Annalium fragmenta* (post I. Vahlen, Lipsiae $1903^2$, ed. O. Skutsch, Oxford 1985). |
| *Exp.* | *Anonymi breuis expositio Vergilii Georgicorum I–II* (saec. V?), male Iunio Philargyrio adscripta (ed. H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902). |
| *Gell.* | Aulus Gellius (saec. II), *Noctes Atticae*. |

| | |
|---|---|
| *GLK* | *Grammatici latini* ex recensione H. Keilii (I–VIII, Lipsiae 1857–1880). |
| *Gramm.* | e grammaticis tres pluresue (uide indicem auctorum in *GLK* VII). |
| *Hor.* | Q. Horatius Flaccus (65–8 a.C.). |
| *Hos. Get.* | Hosidius Geta (saec. II–III), *Medea*, cento Vergilianus (= *Anth. Lat.* 17; ed. R. Lamacchia, Lipsiae 1981). |
| *Hyg. grom.* | Hyginus gromaticus (saec. I), *Constitutio limitum* (ed. C. Lachmann, Berolini 1848, et C. Thulin, Lipsiae 1913). |
| *Isid.* | Isidorus Hispalensis (saec. VI–VII), *Etymologiae* (ed. W. M. Lindsay, Oxonii 1911). |
| *Isid. nat. rer.* | eiusdem *De natura rerum* (ed. G. Becker, Berolini 1857). |
| *Lact.* | L. Caecilius Firmianus Lactantius (saec. III–IV). |
| *Lucan.* | M. Annaeus Lucanus (39–65). |
| *Lucr.* | T. Lucretius Carus (saec. I a.C.). |
| *Macrob.* | Macrobius Ambrosius Theodosius (saec. V in.), *Saturnalia* (ed. I. Wills, Lipsiae 1963, $1970^2$; ed. corr. 1994). |
| *Macrob. somn.* | eiusdem *Commentarii in somnium Scipionis* (ed. I. Wills, Lipsiae 1963, $1970^2$). |
| *Min. Fel.* | M. Minucius Felix (saec. II–III), *Octauius*. |
| *Non.* | Nonius Marcellus (saec. IV?), *De compendiosa doctrina* (ed. W. M. Lindsay, Lipsiae 1903). |
| *Ou.* | P. Ouidius Naso (43 a.C.–18 p.C.). |
| *Pomp.* | Pompeius (saec. V), *Commentum in artem Donati* (*GLK* V). |
| *Porph.* | Pomponius Porphyrio (saec. III), *Commentum Horatii* (ed. A. Holder, Aeniponti 1894). |
| *Prisc.* | Priscianus Caesariensis (saec. V–VI), *Institutiones grammaticae* (*GLK* II–III). |
| *Probus* | M. Valerius Probus, ut ferunt (saec. IV?), *Instituta artium* (*GLK* IV). |
| *ps. Probus* | Probi qui dicitur *Commentarius in Bucolica et Georgica* (ed. H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902). |

| | |
|---|---|
| *Quint.* | M. Fabius Quintilianus (saec. I ex.), *Institutio oratoria*. |
| *Rufin.* | Iulius Rufinianus (saec. IV?), *De figuris sententiarum* (*Rhetores Latini minores*, ed. C. Halm, Lipsiae 1863). |
| *Sac.* | Marius Plotius Sacerdos (saec. III), *Artes grammaticae* (*GLK* VI). |
| *schol. Bemb.* | scholia in Terentium Bembina (cod. Vaticanus latinus 3226, saec. IV–V; ed. J. E. Mountford, Londinii 1934). |
| *schol. Bern.* | scholia Bernensia in Vergilii *Bucolica* et *Georgica* (ed. H. Hagen, «JKPh» Suppl. IV, 1867). |
| *schol. Iuu.* | scholia in Iuuenalem uetustiora (ed. P. Wessner, Lipsiae 1931, Stutgardiae 1967²). |
| *schol. Stat.* | Lactantii Placidi, ut ferunt (saec. V–VI), *Commentarii* in Statii *Thebaida* et *Achilleida* (ed. R. D. Sweeney, Lipsiae 1997). |
| *schol. Ver.* | scholia in Vergilium Veronensia (post H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902, ed. C. Baschera, Verona 1999, et A. Lunelli, «Maia» 53, 2001, 63–136 [in *Bucolica*], et «Maia» 55, 2003, 5–83 [in *Georgica*]). |
| *Sen.* | L. Annaeus Seneca (c. 4 a.C.–65 p.C.). |
| *Seru.* | Seruius (saec. IV–V), in Vergilium *Commentarii* (ed. G. Thilo, Lipsiae 1881–1887; accedit *Appendix* ceteros praeter Seruium et scholia Bernensia Vergilii commentatores continens, ed. H. Hagen, Lipsiae 1902; ed. Harvardiana, Lancastriae Pennsylvanorum 1946 [in *Aen.* I–II], Oxonii 1965 [in *Aen.* III–V]; ed. G. Ramires, Bologna 1996 [in *Aen.* IX], Bologna 2003 [in *Aen.* VII]; ed. E. Jeunet-Mancy, Paris 2012 [in *Aen.* VI]). |
| *Sil.* | Silius Italicus (saec. I ex.). |
| *Stat.* | P. Papinius Statius (saec. I ex.). |
| *Ter. Maur.* | Terentianus Maurus (saec. II?), *De litteris, de syllabis, de metris* (*GLK* VI; ed. C. Cignolo, Hildesheim 2002). |

| | |
|---|---|
| *Tib.* | Tiberius Claudius Donatus (saec. IV–V?), *Interpretationes Vergilianae* (ed. H. Georgii, Lipsiae 1905–1906). |
| *Val. Fl.* | C. Valerius Flaccus (saec. I). |
| *Vegetius* | Flauius Vegetius Renatus (saec. V in.), *Epitoma rei militaris* (ed. M. D. Reeve, Oxonii 2004). |
| *Velius* | Velius Longus (saec. II), *De orthographia* (*GLK* VII; ed. M. Di Napoli, Hildesheim 2011). |
| *Victorinus* | Maximus (?) Victorinus (saec. IV?; *GLK* VI). |

# INDEX EDITORVM ET PHILOLOGORVM

Bentley — lectiones et coniecturae a R. Bentley in exemplari ed. Commelinianae an. 1646 (quod hodie in Mus. Brit. siglo ‘688 g. 6’ signatur) adnotatae.

Bentley ad Lucan. — *M. Annaei Lucani Pharsalia*, cum notis Hug. Grotii et R. Bentleii, Strawberry-Hill 1760.

Burman — *P. Virgilii Maronis Opera*, cum integris et emendatioribus commentariis Seruii, Philargyrii, Pierii. Accedunt F. Vrsini, G. Fabricii, F. Nansii, Joh. Musonii, T. Fabri et aliorum et praecipue Nic. Heinsii notae nunc primum editae; quibus et suas et in omne opus animaduersiones et uariantes in Seruium lectiones addidit P. Burmannus, post cuius obitum interruptam editionis curam suscepit et adornauit P. Burmannus junior, I–IV, Amstelaedami 1746.

Erren — *P. Vergilius Maro, Georgica*, herausgegeben, übersetzt und kommentiert von M. Erren, Band I: Einleitung, Praefatio, Text und Übersetzung, Heidelberg 1985; Band II: Kommentar, Heidelberg 2003.

Faber — *P. Virgilii Maronis Opera*, editio nouissima, summa cura recognita et multis mendis purgata. Adiectae sunt Tanaq. Fabri et nonnullorum aliorum notulae et emendationes, Salmuri 1675 (uide etiam Burman).

Erren — *P. Vergilius Maro, Georgica*, herausgegeben, übersetzt und kommentiert von M. Erren, Band I: Einleitung, Praefatio, Text und Übersetzung, Heidelberg 1985; Band II: Kommentar, Heidelberg 2003.

Geymonat — *P. Vergili Maronis Opera*, edita anno MCMLXXIII iterum recensuit M. Geymo-

| | |
|---|---|
| | nat, Roma 2008 (Augustae Taurinorum 1973[1]). |
| Goold | *Virgil*, with an English translation by R. H. Fairclough revised by G. P. Goold, I–II, Cambridge (Mass.) 1999–2000. |
| Hanow | O. Hanow, *Schedae criticae ad Vergilii Georgica*, Progr. Gymn. Lissa 1863. |
| Heinsius | *P. Virgilii Maronis Opera*, Nic. Heinsius Dan. fil. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit, Amstelodami 1676; uide etiam Burman. |
| Heyne | *P. Virgilius Maro*, uarietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Chr. G. Heyne, I–IV, Lipsiae 1767–1775; quartam ed. curauit G. Ph. Wagner, I–IV, Lipsiae – Londinii 1830–1833. |
| Lachmann ad Lucr. | C. Lachmanni *in T. Lucretii Cari De rerum natura libros commentarius*, iterum editus, Berolini 1855. |
| Madvig | J. N. Madvig, *Aduersaria critica ad scriptores Graecos et Latinos*, II, Hauniae 1873. |
| Markland ad Stat. | *P. Papinii Statii Siluarum libri quinque*, ex uetustis exemplaribus recensuit et notas atque emendationes adiecit Jer. Marklandus, Londinii 1728. |
| Martyn | *P. Virgilii Maronis Georgicorum libri quatuor*. The *Georgicks* of Virgil, with an English Translation and Notes by J. Martyn, London 1755[3]. |
| Mynors | *P. Vergili Maronis Opera*, recognouit breuique adnotatione critica instruxit R. A. B. Mynors, Oxonii 1969; *Virgil, Georgics*, ed. with a commentary by R. A. B. Mynors, Oxford 1990. |
| Peerlkamp | *P. Virgilii Maronis Aeneidos libri I–XII*, edidit et annotatione illustrauit P. Hofman Peerlkamp, I–II, Leidae 1843; P. Hofman |

| | |
|---|---|
| | Peerlkamp, *Ad Virgilium*, «Mnemosyne» 10, 1861, 1–49; 113–163; 229–308; 367–388. |
| Pierius | Io. Pierius Valerianus (Giovan Pietro Bolzani), *Castigationes et uarietates Virgilianae lectionis*, Romae 1521. |
| Reiske | coniecturae in *Georgica* a J. J. Reiske in suo exemplari adnotatae, quae ab Heyne laudatae sunt. |
| Ribbeck | *P. Vergili Maronis Opera*, apparatu critico in artius constricto iterum recensuit O. Ribbeck, I–IV, Lipsiae 1894–1895 (1858–1869$^1$). |
| Richter | *Vergil, Georgica*, herausgegeben und erklärt von W. Richter, München 1957. |
| Sabbadini | *P. Vergili Maronis Opera*, R. Sabbadini recensuit, I–II, Romae 1930. |
| Salmasius | Cl. Salmasii (Claude Saumase), *Plinianae exercitationes in Caii Iulii Solini Polyhistora. Item Caii Iulii Solini Polyhistor ex ueteribus libris emendatus*, Parisiis 1629. |
| Scaliger ad Catull. | *Catulli, Tibulli, Propertii noua editio*, Ios. Scaliger recensuit. Eiusdem in eosdem castigationum liber, Lutetiae 1577. |
| Scaliger ad Manil. | *M. Manilii Astronomicon*, a Ios. Scaligero ex uetusto codice Gemblacensi infinitis mendis repurgatum. Eiusdem Ios. Scaligeri notae, quibus auctoris prisca astrologia explicatur, castigationum caussae redduntur, portentosae transpositiones in eo auctore antiquitus commissae indicantur, Lugduni Batauorum 1600. |
| Schrader | Joh. Schraderi schedae manuscriptae, in Vergilium emendationes continentes, quibus Heyne usus est; J. Schrader, *Obseruationum liber*, Franecherae 1761. |
| Thomas | *Virgil, Georgics*, ed. by R. F. Thomas, I–II, Cambridge 1988. |

# CONSPECTVS CODICVM

## CODICES ANTIQVIORES

**M** Mediceus Laurentianus lat. Plut. XXXIX, 1, saec. V ex.

- **$M^1$** librarius ipse se corrigens
- **$M^A$** Turcius Rufius Apronianus Asterius
- **$M^2$** ceteri correctores, ex quibus nullus satis certe Carolinae aetati adsignari potest; dubium an interdum Asterius ipse
- **$M^x$** librarius ipse uel alia manus (uel atramento inspecto incertum)
- **$M^P$** Pomponius Laetus, anno fere 1470, minio corrigens (raro adnotatur, praesertim ubi priorem correctionem renouasse uidetur)

**P** Vaticanus Palatinus lat. 1631, saec. V (perierunt 1, 323–2, 138; 4, 462–566)

- **$P^1$** manus priori persimilis, minutis litteris uel in rasura corrigens; dubium an interdum librarius ipse
- **$P^2$** corrector quidam antiquus (qui, fide Sabbadini, codicem etiam distinxit); interdum et aliae manus antiquae uel recentioris aetatis
- **$P^x$** librarius ipse uel alia manus (atramento non inspecto incertum)

**R** Vaticanus lat. 3867 ("Romanus"), saec. VI in. (perierunt 2, 1–214; 4, 37–180)

- **$R^1$** librarius ipse se corrigens
- **$R^2$** corrector aliquis antiquus uel raro recentioris aetatis
- **$R^x$** librarius ipse uel alia manus (atramento non inspecto incertum)

**A** Vaticanus lat. 3256 et Berolinensis lat. fol. 416 ("Augusteus"), saec. V ex. uel VI in. (supersunt 1, 41–280; 3, 181–220)

**F** Vaticanus lat. 3225 ("Fuluii Vrsini schedae Vaticanae"), saec. IV ex. uel V in. (supersunt 3, 1–21; 146–214; 285–348; 4, 97–124; 153–174; 471–497; 522–548)

**F²** corrector aliquis antiquus

**Fᶜ** corrector Carolinae aetatis

**G** Sangallensis 1394, saec. V ex. uel VI in., partim rescriptus (supersunt 4, 345–419; 535–566)

**G²** corrector aliquis antiquus

**V** Veronensis XL (38), saec. V, rescriptus (supersunt 2, 92–117; 274–299; 352–377; 535–3, 12; 351–402; 4, 436–464; 522–549)

**V²** corrector aliquis antiquus

## CODICES SAEC. IX–X

**a** Bernensis 172
**b** Bernensis 165
**c** Bernensis 184
**d** Bernensis 255
**e** Bernensis 167
**f** Oxoniensis Bodl. auct. F. 2. 8.
**g** Parisinus lat. 7925
**h** Valentianensis 407 (389)
**i** Reginensis lat. 1669
**j** Bruxellensis Bibl. reg. 5325–5327
**k** Hamburgensis scrin. 52
**l** Vaticanus lat. 3252 (supersunt 1, 1–494)
**r** Parisinus lat. 7926
**s** Parisinus lat. 7928 (desunt 3, 125–4, 566)
**t** Parisinus lat. 13043
**v** Vaticanus lat. 1570
**w** Guelferbytanus Gudianus 66 (supersunt 4, 70–566)
**x** Montepessulanus H 253
**y** Parisinus lat. 10307

**z** Parisinus lat. 7927
**a**², **b**², **c**² etc. correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis (perraro laudantur)

**Φ** consensus horum omnium, uel quotquot non separatim nominantur

**γ** Guelferbytanus Gudianus lat. 2° 70 (omissi sunt 2, 53–260)
**γ***  supplementum in bibliotheca Vniuersitatis Goettingensis seruatum (App. Dipl. 10 E Mapp. I, 28), continens 2, 53–234
**γ**¹, **γ**² correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis

## CODICES LONGOBARDICI SAEC. X–XI

**n** Neapolitanus Vind. lat. 6
**o** Oxoniensis Canon. Class. 50 (desunt 1, 54–200; 2, 114–187; 3, 222–293; 3, 439–4, 226)
**δ** Parisinus lat. 10308
**ε** Vaticanus lat. 1573
**ζ** Vaticanus lat. 3253 (desunt 1, 1–320; 2, 106–205)
**η** Reginensis lat. 2090
**n**², **o**² etc. correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis (perraro laudantur)

**Λ** consensus horum omnium, uel quotquot non separatim nominantur

**ω** consensus **ΦΛ**, uel quotquot horum codicum non separatim nominantur

*recc.* codices recentiores, ab Heinsio, Heyne, Ribbeck aliisue laudati

# LIBER I

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
uertere, Maecenas, ulmisque adiungere uites
conueniat, quae cura boum, qui cultus habendo
sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
hinc canere incipiam. uos, o clarissima mundi
lumina, labentem caelo quae ducitis annum;
Liber et alma Ceres, uestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista
poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis;
et uos, agrestum praesentia numina, Fauni,
ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae:
munera uestra cano; tuque o, cui prima frementem
fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
ter centum niuei tondent dumeta iuuenci;
ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei
Pan, ouium custos, tua si tibi Maenala curae,
adsis, o Tegeaee, fauens, oleaeque Minerua
inuentrix, uncique puer monstrator aratri,
et teneram ab radice ferens, Siluane, cupressum:

**MPR**

**4** pecori atque **R**$^{2}$η: pecorique ε **5** hic **Paz** (*corr.* **P**$^{1}$) **6** lumina] «numina *fuit, sed emendauit ipse, quia postea ait* et uos agrestum praesentia numina Fauni» *DSeru.* **7** Liber et alma Ceres *cum superioribus perperam iungunt ps. Acro ad Hor. carm. saec. 1, Macrob. 1, 16, 44, ps. Probus*, *Seru.*, *schol. Bern.* si munere] sit munere **M**: si numine **M**$^{A}$: uestroque in munere *ps. Probus* **8** chaonem **P** (chaoneam **P**$^{2}$): chaonia γ **10** et] ut **P** (*corr.* **P**$^{2}$) **12** furentem *DSeru. ad Aen. 1, 1* **13** fudit equum] «*antiquissimi libri* fudit aquam *habuerunt*; [...] *sed melius* equum *propter armenta*; *in Corn*(*eliani*) equm, *in authentico* aquam, *ipsius manu* equm» *DSeru.* (*et* equum *et* aquam *agnoscunt schol. Bern.*) fundit **Pbr**, *DSeru. ad Aen. 1, 1* **14** nemorum] pecorum *recc.*, *Schrader* **17** si] seu *Schrader, cl. Theocr. 1, 124* **20** tenera δ, «*quidam*» *ap. DSeru.*

dique deaeque omnes, studium quibus arua tueri
quique nouas alitis non ullo semine fruges
quique satis largum caelo demittitis imbrem.
tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
concilia incertum est, urbisne inuisere, Caesar,
terrarumque uelis curam, et te maximus orbis
auctorem frugum tempestatumque potentem
accipiat cingens materna tempora myrto;
an deus immensi uenias maris ac tua nautae
numina sola colant, tibi seruiat ultima Thule,
teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;
anne nouum tardis sidus te mensibus addas,
qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis
panditur: ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
Scorpios et caeli iusta plus parte reliquit;
quidquid eris (nam te nec sperant Tartara regem,
nec tibi regnandi ueniat tam dira cupido,
quamuis Elysios miretur Graecia campos
nec repetita sequi curet Proserpina matrem),
da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis
ignarosque uiae mecum miseratus agrestis
ingredere et uotis iam nunc adsuesce uocari.
  Vere nouo, gelidus canis cum montibus umor
liquitur et Zephyro putris se glaeba resoluit,
depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
ingemere et sulco attritus splendescere uomer.

**MPR** **41** *inchoat* **A**

**22** nonnullo **acjkstvxyzΛγ**, *Seru.* (*cf. georg. 2, 420*) **23** dimittitis **acfizεη** **25** urbisne **PRωγ**, «*liber manu ipsius correctus*» *teste Probo ap. Gell. 13, 21, 4*, *Seru.*: urbesne **Mabcirvnδε** **29** ac] et **br** **30** sola] magna **bcr?** seruiet **br** **34** panditur *dist.* **P**$^{2}$, panditur *et* tibi **M**$^{x}$: *post* tibi *dist. Seru.* («*ordo est* qua locus ipse tibi panditur»), *DSeru.* **35** scorpios et] scorpius et **Pdegiklstxzoδε**, *Seru.*: scorpio sed *ps. Probus* iusta caeli **cr** reliquit **MRγ**: relinquit **Pω**, *Ter. Maur. 1147*, *ps. Probus* (*cf. georg. 3, 519*) **36** nec] ne **M** (*corr.* **M**$^{1}$) sperant **MPRabcfn**, *schol. Bern.*: sperent **M**$^{A}$**P**$^{2}$**ωγ**, *ps. Probus*, *Seru.*, *DSeru.*, *Exp.* **37** ueniet **br** **38** campos] sal(tus) *Asper ap. schol. Ver. ad Aen. 9, 363* **46** uomis **M**$^{A}$; «*dicimus et 'hic uomer' et 'hic uomis'*» *Seru.*; *cf. u. 162*

illa seges demum uotis respondet auari
agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
illius immensae ruperunt horrea messes.
ac prius ignotum ferro quam scindimus aequor,
uentos et uarium caeli praediscere morem
cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum,
et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset.
hic segetes, illic ueniunt felicius uuae,
arborei fetus alibi atque iniussa uirescunt
gramina. nonne uides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabaei,
at Chalybes nudi ferrum uirosaque Pontus
castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
continuo has leges aeternaque foedera certis
imposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion uacuum lapides iactauit in orbem,
unde homines nati, durum genus. ergo age, terrae
pingue solum primis extemplo a mensibus anni
fortes inuertant tauri, glaebasque iacentis
puluerulenta coquat maturis solibus aestas;
at si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:

**AMPR**

**47** responderet **A**: respondit **crv** **48** sentit **chsδη** **50** at **γ** ignotum] immensum *DSeru.*, *agnoscunt schol. Bern. ut uid.* (*ex georg. 2, 541*) **51** uarium] proprium *Colum. 1, 4, 4* **52** ac] et *DSeru. ad Aen. 3, 249* **53–104** *post u. 130 transpositi sunt in* **γ** **53** quaeque$^{2}$] ferre *recc.* **54** hinc **AP** (*corr.* **P$^{x}$**) illinc **P** (*corr.* **P$^{x}$**) **56** tmolus **M$^{2}$abj?sxη** (tmollus **c**, tmolius **t**, tmolos **y**, timolus **n**), *Sen. ep. 87, 20*, *ps. Probus*, *Seru.*, *schol. Bern.*: imolus **R**: molus **AMefhilrvδε**, *agnoscit Exp.*: molos **Pgk**, *Porph. ad Hor. sat. 2, 4, 68*: moles **γ**: molis **z** (*def.* **d**); *cf. georg. 2, 98* **57** mittit **AMP$^{x}$Rωγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 31, 6*, *ps. Probus*, *Seru.*, *DSeru.*: mittet **P**: mittat **M$^{2}$** (*sed rursus* mittit *ead. uel al. man.*) **cr**, *Sen.* **60** aeternaque] alterna **P$^{x}$**, *fortasse ex* alternaq·, *postrema littera erasa* **61** exposuit **b**: nam posuit **f** **64** a *om.* **Abcrn** **66** solibus] frugibus **R** (*cf. u. 69*) aetas **cr**

illic, officiant laetis ne frugibus herbae,
hic, sterilem exiguus ne deserat umor harenam.
    Alternis idem tonsas cessare noualis
et segnem patiere situ durescere campum;
aut ibi flaua seres mutato sidere farra,
unde prius laetum siliqua quassante legumen
aut tenuis fetus uiciae tristisque lupini
sustuleris fragilis calamos siluamque sonantem.
urit enim lini campum seges, urit auenae,
urunt Lethaeo perfusa papauera somno;
sed tamen alternis facilis labor, arida tantum
ne saturare fimo pingui pudeat sola neue
effetos cinerem immundum iactare per agros.
sic quoque mutatis requiescunt fetibus arua,
nec nulla interea est inaratae gratia terrae.
saepe etiam sterilis incendere profuit agros
atque leuem stipulam crepitantibus urere flammis:
siue inde occultas uires et pabula terrae
pinguia concipiunt, siue illis omne per ignem
excoquitur uitium atque exsudat inutilis umor,
seu pluris calor ille uias et caeca relaxat
spiramenta, nouas ueniat qua sucus in herbas,
seu durat magis et uenas adstringit hiantis,
ne tenues pluuiae rapidiue potentia solis
acrior aut Boreae penetrabile frigus adurat.
multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis
uimineasque trahit crates, iuuat arua, neque illum
flaua Ceres alto nequiquam spectat Olympo,
et qui, proscisso quae suscitat aequore terga,

**AMPR**

**69–70** «*ipsius manu adiecti sunt, deletis duobus, quorum alter totus legi potuit* ipsis officiant segetes ne frugibus illic, *ex altero hoc tantum* ne deserat umor harenam» *DSeru.*, *at uide S. Timpanaro, Per la storia della filol. virgil. ant., Roma 1986, 191 sq.*; *Id., Virgilianisti antichi e tradiz. indir., Firenze 2001, 147* **72** et] aut **dlz** **73** sidere] semine **R** **81** effectos **Rktzγ** **82** requiescent **R**, *schol. Stat. Theb. 3, 182* **91** abstringit **A** **92** rapidique **γ**

rursus in obliquum uerso perrumpit aratro
exercetque frequens tellurem atque imperat aruis.
Vmida solstitia atque hiemes orate serenas,
agricolae; hiberno laetissima puluere farra,
laetus ager: nullo tantum se Mysia cultu
iactat et ipsa suas mirantur Gargara messes.
quid dicam, iacto qui semine comminus arua
insequitur cumulosque ruit male pinguis harenae,
deinde satis fluuium inducit riuosque sequentis
et, cum exustus ager morientibus aestuat herbis,
ecce supercilio cliuosi tramitis undam
elicit? illa cadens raucum per leuia murmur
saxa ciet scatebrisque arentia temperat arua.
quid qui, ne grauidis procumbat culmus aristis,
luxuriem segetum tenera depascit in herba,
cum primum sulcos aequant sata, quique paludis
collectum umorem bibula deducit harena?
praesertim incertis si mensibus amnis abundans
exit et obducto late tenet omnia limo,
unde cauae tepido sudant umore lacunae.
Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores
uersando terram experti, nihil improbus anser
Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris
officiunt aut umbra nocet. pater ipse colendi
haud facilem esse uiam uoluit primusque per artem
mouit agros, curis acuens mortalia corda,
nec torpere graui passus sua regna ueterno.
ante Iouem nulli subigebant arua coloni;
ne signare quidem aut partiri limite campum

**AMPR**

**102** mysia **MPRab?rtvη** (misia **γ**), *Non. 340, 33*, *Macrob. 5, 20, 1*, *ps. Probus*, *agnoscit Seru.*: m(o)esia (*uel* m(a)esia) **AP$^{2}$ω**, *DSeru. hic et ad Aen. 1, 140*, *Exp.*, *schol. Bern.*, *mauult Seru.* **103** iactet *DSeru. ad Aen. 1, 140*, *ps. Probus* miratur **P$^{x}$r**: mirentur *ps. Probus* **105** tumulosque **M$^{A}$** **106** sequentis] fluentes **R** **114** conlectum *uel* coniectum **P** (collectum **P$^{2}$**) diducit **Ab** **126** nec **a$^{2}$cdegijklvyzδεη**, *Macrob. 1, 8, 3* quidem] solum *Macrob.*

fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
omnia liberius nullo poscente ferebat.
ille malum uirus serpentibus addidit atris
praedarique lupos iussit pontumque moueri,
mellaque decussit foliis ignemque remouit
et passim riuis currentia uina repressit,
ut uarias usus meditando extunderet artes
paulatim et sulcis frumenti quaereret herbam,
ut silicis uenis abstrusum excuderet ignem.
tunc alnos primum fluuii sensere cauatas;
nauita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas claramque Lycaonis Arcton.
tum laqueis captare feras et fallere uisco
inuentum et magnos canibus circumdare saltus;
atque alius latum funda iam uerberat amnem
alta petens, pelagoque alius trahit umida lina.
tum ferri rigor atque argutae lammina serrae
(nam primi cuneis scindebant fissile lignum),
tum uariae uenere artes. labor omnia uicit
improbus et duris urgens in rebus egestas.
prima Ceres ferro mortalis uertere terram
instituit, cum iam glandes atque arbuta sacrae
deficerent siluae et uictum Dodona negaret.
mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
esset robigo segnisque horreret in aruis
carduus; intereunt segetes, subit aspera silua

**AMPR**

**133** extruderet **P**$^2$: extuderet **fhitγ**: excuderet **br** (*cf. u. 135 et georg. 4, 315*) **135** *hunc u. non ineptis argumentis secl. Ribbeck, cl. Aen. 1, 174 et 6, 7* ut] et **A** **136** fluuii primum **ω** (*praeter* **abejrsn**) **137** tunc **A**, *Seru. ad Aen. 6, 64* **138** pleiadas **MRa?brγ** (pleyadas **M**$^2$), *ps. Probus*: pleidas **P**: pifiadas **A**: pliadas (*uel* plyadas) **ω**, *Seru. hic et ad Aen. 6, 64 codd. plerique*, *schol. Bern.* arctum **M** (*corr.* **M**$^2$) **139** tunc **Mch** (*corr.* **M**$^1$), *Sen. ep. 90, 11* laqueo *Sen. dial. 7, 14, 3* (*sed* laqueis *ep. 90, 11*) **140** magnos] latos *Sen. dial.* (*sed* magnos *ep. 90, 11*) **142** alta petens *cum sequentibus iungunt «nonnulli» ap. DSeru.* **144** primum **a**$^2$**cfhijksxyn** **145** uincit **cdjsxη** **146** urgens **M**$^x$**P**$^x$**Rωγ**, *Seru.*: surgens **AMPa** **149** negarent **R** **150** frumenti **γ**

lappaeque tribolique, interque nitentia culta
infelix lolium et steriles dominantur auenae.
quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris
et sonitu terrebis aues et ruris opaci
falce premes umbras uotisque uocaueris imbrem,
heu magnum alterius frustra spectabis aceruum
concussaque famem in siluis solabere quercu.
Dicendum et quae sint duris agrestibus arma,
quis sine nec potuere seri nec surgere messes:
uomis et inflexi primum graue robur aratri
tardaque Eleusinae matris uoluentia plaustra
tribulaque traheaeque et iniquo pondere rastri,
uirgea praeterea Celei uilisque supellex,
arbuteae crates et mystica uannus Iacchi;
omnia quae multo ante memor prouisa repones,
si te digna manet diuini gloria ruris.
continuo in siluis magna ui flexa domatur
in burim et curui formam accipit ulmus aratri;
huic a stirpe pedes temo protentus in octo,
binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.
caeditur et tilia ante iugo leuis altaque fagus
stiuaque, quae currus a tergo torqueat imos,
et suspensa focis explorat robora fumus.
Possum multa tibi ueterum praecepta referre,
ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.
area cum primis ingenti aequanda cylindro
et uertenda manu et creta solidanda tenaci,
ne subeant herbae neu puluere uicta fatiscat.

**AMPR**

**155** herbam **Mωγ**, *Seru.*: terram **APRacdglnε** **157** umbras **APω**, *Seru.* (*cod. R*), *schol. Bern.*: umbram **MRfδγ**, *Non. 365, 26*, *Seru. hic et ad buc. 10, 76* **158** aspectabis **aev**: expectabis **bh** **164** traheaeque **PRbdrsn**, *Non. 228, 28*, *Seru.*, *DSeru.*: trahaeque **AM$^{A}$ω** (traheque **Mγ**), *Exp.*, *schol. Bern.* **166** uallus **R**, *GLK V, 592, 23*, *agnoscit Seru.* **167** reponis **P** (*corr.* **P$^{2}$**): reponas *Prisc. 14, 51* **174** *ante 173 transp. Schrader* cursus **gr** **175** explorat **MPRabdeilrstvγ**, *Non. 294, 17*, *Seru.*, *Exp.*: exploret **Aω** **178** primum **a$^{2}$cefhivzδ** cylindro est **P$^{2}$**

tum uariae inludunt pestes: saepe exiguus mus
sub terris posuitque domos atque horrea fecit,
aut oculis capti fodere cubilia talpae,
inuentusque cauis bufo et quae plurima terrae
monstra ferunt, populatque ingentem farris aceruum
curculio atque inopi metuens formica senectae.
contemplator item, cum se nux plurima siluis
induet in florem et ramos curuabit olentis:
si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
magnaque cum magno ueniet tritura calore;
at si luxuria foliorum exuberat umbra,
nequiquam pinguis palea teret area culmos.
semina uidi equidem multos medicare serentis
et nitro prius et nigra perfundere amurca,
grandior ut fetus siliquis fallacibus esset
et quamuis igni exiguo properata maderent.
uidi lecta diu et multo spectata labore
degenerare tamen, ni uis humana quotannis
maxima quaeque manu legeret: sic omnia fatis
in peius ruere ac retro sublapsa referri,
non aliter quam qui aduerso uix flumine lembum
remigiis subigit, si bracchia forte remisit,

**AMPR**

**181** tum] tunc **fh** inludunt **M**$^{A}$**P**$^{2}$**cgiksvxyzεη**, *Seru.* (ludunt **A**): inludant **MPRωγ**, *schol. Bern.* (*quae tamen* ‘*nocent*’ *interpretantur*), *edd. plerique*. *Cum hemistichium* tum uariae inludant pestes *careat particula negatiua propria* (*quam ex superiore uersu uix potes mutuari*), *uidetur cum uerbis* ne subeant … neu fatiscat *difficulter coniungi. Si post* fatiscat *fortius distinguis et* inludunt *legis, nouum enuntiatum* (tum uariae…) *senties inire, ubi paruulae ruris* pestes *quasi beluae metuendae lepide commemorantur* **182** domus **aerεγ**, *schol. Bern.* **187** nux se **A** **188** induit **γ**, *Arus. 479, 17*, *Rufin. 57, 14* curuauit **Mab**, *Rufin.* **189** superat **brn** **192** pale(a)e **ar?η**, «*quidam*» *ap. DSeru.* (*cod. V*), *schol. Bern.* terit **Rbr** **194** profundere **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **195** grandior] laetior *Colum. 2, 10, 11* **197** multo expectata **b** **199** legerit **fhij** **200** ac **AMRωγ**, *Colum. 2, 9, 12 et 3, 10, 18*, *Gell. 10, 29, 4*, *Seru. hic et ad u. 193*, *DSeru.*, *Exp.* (*cf. Aen. 2, 169*): et **Pbcfghjkrx**

atque illum in praeceps prono rapit alueus amni.
Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Haedorumque dies seruandi et lucidus Anguis,
quam quibus in patriam uentosa per aequora uectis
Pontus et ostriferi fauces temptantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas
et medium luci atque umbris iam diuidit orbem,
exercete, uiri, tauros, serite hordea campis
usque sub extremum brumae intractabilis imbrem;
nec non et lini segetem et Cereale papauer
tempus humo tegere et iamdudum incumbere aratris,
dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
uere fabis satio; tum te quoque, medica, putres
accipiunt sulci et milio uenit annua cura,
candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, et aduerso cedens Canis occidit astro.
at si triticeam in messem robustaque farra
exercebis humum solisque instabis aristis,
ante tibi Eoae Atlantides abscondantur
Cnosiaque ardentis decedat stella Coronae,

**AMPR**

**203** atque *pro* ‘*statim*’ *interpretantur Gell. 10, 29, 4*, *Non. 530, 4-7*, *Seru.* (*cod. R*) in *om.* **Ps** prono inceps **R**: prono in preceps $\mathbf{R}^2$ trahit **R** **206** uectus **P** (uectos $\mathbf{P}^2$, *corr. ead. uel al. man.*): uictis **a** **208** die **AMPωγ**, *Don. ad Ter. Andr. 430*, *Seru. hic* («*regularis genetiuus est*») *et ad Aen. 1, 156*, *DSeru.*, *Exp.*, *schol. Bern.*, *Gramm.*: dies **bg**, *quod quidam ap. Gell. 9, 14, 7 aiunt se inuenisse in libro Vergili idiographo*: diei $\mathbf{M}^{\mathbf{P}}$**Rr**, *ps. Probus*: dii *Auson. ecl. 24, 31* (*cf. Aen. 1, 636 et Char. 126, 31*) **209** diuidet **Rbjroηγ** **213** aratris **MPωγ**, *Seru.* (*cod. R*): rastris $\mathbf{AM}^{\mathbf{A}}\mathbf{P}^2$ (*man. Carol. aet.*) **Rdgltz** **215** tum] cum **jr**: tunc **dt**, *Sen. ep. 86, 16* **216** accipiant **cnη**: accipient **oδ** **218** aduerso **Mnη**, *Macrob. somn. 1, 18, 15*, «*alii*» *ap. Seru.*, *schol. Bern.*: auerso **APRωγ**, *ps. Probus*, *Seru.*; *utrumque agnoscit Exp.* Aduerso … astro (*datiuus est casus cum* cedens *coniunctus*) *indicat signum Tauri: Canis enim, quasi exterritus quia Taurus infensis cornibus ei minitatur, retrocedere uidetur usque ad fugam* (occidit). *Si* auerso … astro *legis, nescio an potius pro ablatiuo interpretandum sit, i.e.* ‘*Canis Taurum fugit auerso astro suo*’ cadens **M**: cedent **P** (*corr.* $\mathbf{M}^{\mathbf{A}}\mathbf{P}^2$) **221** absconduntur **P** (*corr.* $\mathbf{P}^2$): abscondentur **γ** **222** cnosiaque **APω**, *ps. Probus*: gnosiaque **MRhlnγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 2, 19, 14*, *Seru.*, *Exp.*

debita quam sulcis committas semina quamque
inuitae properes anni spem credere terrae.
multi ante occasum Maiae coepere; sed illos
exspectata seges uanis elusit auenis.
si uero uiciamque seres uilemque phaselum
nec Pelusiacae curam aspernabere lentis,
haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes:
incipe et ad medias sementem extende pruinas.
 Idcirco certis dimensum partibus orbem
per duodena regit mundi sol aureus astra.
quinque tenent caelum zonae: quarum una corusco
semper sole rubens et torrida semper ab igni;
quam circum extremae dextra laeuaque trahuntur
caeruleae, glacie concretae atque imbribus atris;
has inter mediamque duae mortalibus aegris
munere concessae diuum, et uia secta per ambas,
obliquus qua se signorum uerteret ordo.
mundus, ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arces
consurgit, premitur Libyae deuexus in Austros.
hic uertex nobis semper sublimis; at illum
sub pedibus Styx atra uidet Manesque profundi.
maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis
circum perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes aequore tingi.
illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
semper et obtenta densentur nocte tenebrae,
aut redit a nobis Aurora diemque reducit;
nosque ubi primus equis Oriens adflauit anhelis,

**AMPR**

**226** auenis **Pω**, *ps. Probus*, *schol. Bern.*: aristis **AMRanoη**, *Non. 301, 20 et 416, 26* **229** aut **γ** mittet **PRωγ**, *ps. Probus*, *Seru.* (*cod. R*): mittit **AM**: mittat **c** **236** caerulea **kε**, *Hyg. grom. 149, 14* (*185, 18*), *ps. Probus*, *Seru.* (*cod. R*) **237** *om.* **γ** (*add.* $\gamma^{1}$) **242** semper] caeli *DSeru. ad georg. 1, 209* at] ad **PRb** **244** sinuose labitur **Rγ** (*corr.* $\gamma^{1}$) **245** arctus **fγ** **246** aequora **fhix** **248** densentur **PRωγ**: densantur **AMc**, *ps. Probus ad u. 239* **249** reddit a nobis **M** (*corr.* $M^{x}$): reddit nobis *ps. Probus ad u. 239* **250** anhelans *ps. Probus ad u. 239*

illic sera rubens accendit lumina Vesper.
hinc tempestates dubio praediscere caelo
possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
et quando infidum remis impellere marmor
conueniat, quando armatas deducere classis
aut tempestiuam siluis euertere pinum:
nec frustra signorum obitus speculamur et ortus
temporibusque parem diuersis quattuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber,
multa, forent quae mox caelo properanda sereno,
maturare datur: durum procudit arator
uomeris obtunsi dentem, cauat arbore lintres,
aut pecori signum aut numeros impressit aceruis.
exacuunt alii uallos furcasque bicornis
atque Amerina parant lentae retinacula uiti.
nunc facilis rubea texatur fiscina uirga,
nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
quippe etiam festis quaedam exercere diebus
fas et iura sinunt: riuos deducere nulla
religio uetuit, segeti praetendere saepem,
insidias auibus moliri, incendere uepres
balantumque gregem fluuio mersare salubri.
saepe oleo tardi costas agitator aselli
uilibus aut onerat pomis, lapidemque reuertens

**AMPR**

**251** illis *Sen. ep. 122, 2* (*cf. Lucr. 1, 1065 'illi cum uideant solem, nos sidera noctis…'*) **252** praedicere **ARb** **254** conuellere *Seru. ad georg. 1, 3* **256** aut] et *Macrob. 6, 4, 16* **257–258** *ante 252 transtulit Ribbeck*; *at duo hi uersus, qui uidentur in unum colligere praecepta quae superioribus in uersibus iam distincta occurrerant, non pro praefatione funguntur sed potius pro conclusione huius partis. Nam sensus est: 'si ex caeli contemplatione facile discitur qua tempestate singula hominum negotia sint opportune agenda* (*252–256*), *consequenter obitus ortusque signorum speculari nobis admodum proderit* (*257–258*)' **259** agricolas *Macrob. 6, 8, 11* **260** mox] post **M** **263** impressat **A** **266** facili **P** rubea *agnoscit DSeru.*: Rubea *ab oppidi Ruborum nomine ps. Acro ad Hor. sat. 1, 5, 94*, *Seru.*, *schol. Bern.* (*utrumque agnoscit Exp.*) **267** saxis **Rg**: saxa **b** **269** diducere **Mdfgir**

incusum aut atrae massam picis urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine luna
felicis operum. quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat saeuumque Typhoea
et coniuratos caelum rescindere fratres.
ter sunt conati imponere Pelio Ossam
scilicet, atque Ossae frondosum inuoluere Olympum;
ter pater exstructos disiecit fulmine montis.
septima post decimam felix et ponere uitem
et prensos domitare boues et licia telae
addere. nona fugae melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere
aut cum sole nouo terras inrorat Eous.
nocte leues melius stipulae, nocte arida prata
tondentur, noctes lentus non deficit umor.
et quidam seros hiberni ad luminis ignes
peruigilat ferroque faces inspicat acuto;
interea longum cantu solata laborem
arguto coniunx percurrit pectine telas

**AMPR** **280** *desinit* **A**

**275** incusum **bchkszΛγ**, *Exp.*: incussum **AMPRω**, *Colum. 7, 1, 3*, *schol. Bern.* (*uariant codd. Seru.*) **277** orcus **AMRωγ**, *Cornutus ap. DSeru.*, *Seru. hic et ad u. 331*: orchus *Probus ap. DSeru.* (*an ibi potius* horcus *legendum est?*): horcus **Pi**, *Celsus ap. DSeru.*, *DSeru. ad Aen. 3, 357* (hortus *cod. F*), «*quidam*» *ap. schol. Bern.* (*cf. Hes. Op. 803 sq.*). *Cf. M. L. Delvigo, Testo virgiliano e trad. indir., Pisa 1987, 19–26 et S. Timpanaro, Virgilianisti antichi e tradiz. indir., Firenze 2001, 47 sq.* **278–279** eumenidesque iapetum (*ut uid.*) creat saeuumque thyphoea **M** (*corr.* **M**$^{A}$**M**$^{2}$, *qui priora uerba uersus 279 a* **M**$^{A}$ *addita deleuit* coeumque lapytumque *denuo scribens*) **281** «Pelio Ossam: o *longa est*, *sed fit breuis sequente* o *uocali*» *Seru.*; *hiatus et homerica correptio etiam in georg. 1, 332* (‘*Atho aut*’) *et 437* (‘*Panopeae et*’); *4, 461* (‘*Rhodopeiae arces*’); *Aen. 3, 211* (‘*Ionio in*’); *5, 261* (‘*Ilio alto*’): pelion **br** **282** inuertere **P** (*corr.* **P**$^{2}$) **283** deiecit **R**: desiecit **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$): discedit **η** fulmine] flumine **fg** **284** uites **Raertvnη** **287** melius gelida **Φ** (*praeter* **bjrs**) **288** aut] uel **R** **289** stipulae melius *Sac. 463, 24*, *Rufin. 49, 38* **290** noctes **M**$^{A}$ (nocte **M**) **PRr**, *Arus. 466, 17*: noctis **P**$^{x}$**ωγ**, *Non. 338, 20*, *Seru. ad Aen. 4, 7*; «noctis *accusatiuus pluralis*» *Seru.* (*cod. R*) **291** ignes] ictus **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **292** peruigilant **Prs?** (*corr.* **P**$^{x}$)

aut dulcis musti Volcano decoquit umorem
et foliis undam trepidi despumat aëni.
at rubicunda Ceres medio succiditur aestu
et medio tostas aestu terit area fruges.
nudus ara, sere nudus. hiems ignaua colono:
frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur
mutuaque inter se laeti conuiuia curant;
inuitat genialis hiems curasque resoluit,
ceu pressae cum iam portum tetigere carinae,
puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus
et lauri bacas oleamque cruentaque myrta,
tum gruibus pedicas et retia ponere ceruis
auritosque sequi lepores, tum figere dammas
stuppea torquentem Balearis uerbera fundae,
cum nix alta iacet, glaciem cum flumina trudunt.
    Quid tempestates autumni et sidera dicam,
atque, ubi iam breuiorque dies et mollior aestas,
quae uigilanda uiris? uel cum ruit imbriferum uer,
spicea iam campis cum messis inhorruit et cum
frumenta in uiridi stipula lactentia turgent?
saepe ego, cum flauis messorem induceret aruis
agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,
omnia uentorum concurrere proelia uidi,
quae grauidam late segetem ab radicibus imis

**MPR**

**295** umorem] «*hypermetrus uersus*; *unde et sequens a uocali inchoat*» *Seru.*; «*hic uersus longior est una syllaba, sed sine uitio, quoniam sequens a uocali incipit*» *DSeru.*; *cf. app. ad georg. 2, 69* **296** et] aut *Gell. 2, 3, 6* trepidi **P**$^{2}$**ωγ**, *Gell.*, *Seru.* (*cod. R*), *Exp.*, *schol. Bern.*: trepidis **MR**: tepidi **Poη** **300** feruntur **M** (fruntur **M**$^{x}$, *corr.* **M**$^{P}$) **305** tunc **acdefghklvyz**, *Non. 403, 6*, *Seru. ad buc. 9, 61* **308** fugere **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **309** torquentes **R**: torpentem **gi** **310** glacies **noδη** **311** sidera] frigora **dz**, *schol. Bern. u. l.* (*cf. georg. 2, 321 et 3, 279*) **315** lactentia **M**$^{A}$**Pbgsyzoεηγ**, *schol. Bern.*: latentia **M**: iacentia **R**: lactantia **ωγ**$^{1}$, *Seru.*, *Exp.* **316** duceret **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **318** consurgere **R**

sublimem expulsam eruerent: ita turbine nigro
ferret hiems culmumque leuem stipulasque uolantes.
saepe etiam immensum caelo uenit agmen aquarum,
et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
collectae ex alto nubes: ruit arduus aether
et pluuia ingenti sata laeta boumque labores
diluit; implentur fossae et caua flumina crescunt
cum sonitu feruetque fretis spirantibus aequor.
ipse pater media nimborum in nocte corusca
fulmina molitur dextra, quo maxima motu
terra tremit; fugere ferae et mortalia corda
per gentes humilis strauit pauor; ille flagranti
aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
deicit; ingeminant Austri et densissimus imber;
nunc nemora ingenti uento, nunc litora plangunt.
hoc metuens caeli menses et sidera serua,
frigida Saturni sese quo stella receptet,
quos ignis caelo Cyllenius erret in orbis.
in primis uenerare deos atque annua magnae
sacra refer Cereri laetis operatus in herbis
extremae sub casum hiemis, iam uere sereno.

**MPR** **322** *desinit* **P**

**320–321** *cum hic locus nonnullos uexauerit, uarie est temptatus* (ut *pro* ita *Heyne et Madvig,* uerrit *pro* ferret *Meiser*, *«J.k.Ph. 105, 1872, 119» et Slater*, *«CR» 23, 1910, 249*, uersat *Heyne*); *at, quamuis elocutio insolita uideatur, nulla tamen corruptela laesa est. Hic est sensus*: ‘*uerno tempore uenti possunt grauidam segetem de solo uehementes eradicare*; *haud aliter* (ita) *turbo uentorum* (hiems) *stipulas inanes leuesque rapere posset* (ferret)’. *Coniunctiuus imperfectus potentialis* ferret *bene monstrat per fictum exemplum factam esse hanc comparationem* **320** sublime **bcdeilzΛγ** (*corr.* $\gamma^1$) eruerint **v**$\gamma^1$ **321** uolantes] nigrantis **P** (*corr.* $P^2$) **327** spumantibus **R** **329** fulmina] flumina **dfrz** **331** humili **R** flagrantis **R** **332** Atho *Pierius et Heinsius*, *ut Theocr. 7, 77* ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν (*cf. etiam Aen. 12, 701*): Athon *codd.*, *Seru.*, *Exp.*, *schol. Bern.* (*ut Val. Fl. 1, 664*); *de singulari re metrica uide app. ad u. 281* **334** plangunt $M^A$**ωγ**, *Asper p. 540, 6*, *«alii» ap. Seru.*, *Seru. ad Aen. 3, 420*, *Exp.*, *schol. Bern.*: plangit **MRbky**, *Seru.*: plangent **a**: clangunt *recc.* **337** caelo **M**, *ps. Probus*: caeli **Rωγ**, *Sen. ep. 88, 14*, *Arus. 484, 9*, *Seru. hic et ad Aen. 4, 239* **339** laetus **dfγ** (*corr.* $\gamma^1$) **340** casu **Radefgklsvxyzε**$\gamma^1$, *schol. Bern.*

tum pingues agni et tum mollissima uina,
tum somni dulces densaeque in montibus umbrae.
cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
cui tu lacte fauos et miti dilue Baccho,
terque nouas circum felix eat hostia fruges,
omnis quam chorus et socii comitentur ouantes
et Cererem clamore uocent in tecta; neque ante
falcem maturis quisquam supponat aristis,
quam Cereri torta redimitus tempora quercu
det motus incompositos et carmina dicat.
 Atque haec ut certis possemus discere signis,
aestusque pluuiasque et agentis frigora uentos,
ipse pater statuit quid menstrua luna moneret,
quo signo caderent Austri, quid saepe uidentes
agricolae propius stabulis armenta tenerent.
continuo uentis surgentibus aut freta ponti
incipiunt agitata tumescere et aridus altis
montibus audiri fragor, aut resonantia longe
litora misceri et nemorum increbrescere murmur.
iam sibi tum a curuis male temperat unda carinis,
cum medio celeres reuolant ex aequore mergi
clamoremque ferunt ad litora, cumque marinae
in sicco ludunt fulicae, notasque paludes
deserit atque altam supra uolat ardea nubem.
saepe etiam stellas uento impendente uidebis
praecipites caelo labi, noctisque per umbram

**MR**

**341** tum$^1$ **MRbdfgrxΛ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 4, 11*: tunc **Φγ**, *Porph. ad Hor. carm. 1, 4, 11*, *Seru.* (*cod. R*) agni pingues **Φ** (*praeter* **bjry**) tum$^2$] tunc **jζγ**, *Porph.* **346** comitantur **xγ** (*corr.* **γ**$^1$) **351** possemus **MRbgjr**: possimus **M**$^P$**ωγ** discere **Mωγ**: dicere **R**: noscere **M**$^A$**jroη** **354** quid] quod **acdΛγ**$^1$ **355** proprius **adtγ**: propriis **iγ**$^1$ **357** arduus **R** (*cf. Aen. 7, 624*) **358** aut] et *Non. 427, 20* **360** sibi tum] subitum *Stanford* (*«Hermathena» 47, 1932, 164–166*), *cum* murmur (*359*) *iungens* a curuis **RΦ**, *Arus. 512, 16*, *Prisc. 18, 144*: curuis **MdghijrsΛγ**, *Don. ad Ter. Phorm. 271*, *Seru.* **366** umbram **MRbjryζγ**: umbras **ω**, *Isid. nat. rer. 25*

flammarum longos a tergo albescere tractus,
saepe leuem paleam et frondes uolitare caducas
aut summa nantis in aqua conludere plumas.
at Boreae de parte trucis cum fulminat et cum
Eurique Zephyrique tonat domus, omnia plenis
rura natant fossis atque omnis nauita ponto
umida uela legit. numquam imprudentibus imber
obfuit: aut illum surgentem uallibus imis
aëriae fugere grues, aut bucula caelum
suspiciens patulis captauit naribus auras,
aut arguta lacus circumuolitauit hirundo
et ueterem in limo ranae cecinere querelam.
saepius et tectis penetralibus extulit oua
angustum formica terens iter, et bibit ingens
arcus, et e pastu decedens agmine magno
coruorum increpuit densis exercitus alis.
iam uariae pelagi uolucres et quae Asia circum
dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri
certatim largos umeris infundere rores:
nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas
et studio incassum uideas gestire lauandi;
tum cornix plena pluuiam uocat improba uoce
et sola in sicca secum spatiatur harena.
ne nocturna quidem carpentes pensa puellae

**MR**

**367** longos a tergo flammarum *Sen. nat. quaest. 7, 20, 1* albescere] inuoluere *Macrob. 6, 1, 26* **373** prudentibus **Mh** (*corr.* **M**$^{A}$) **383** uariae **MRahlγ**, *agnoscit Seru.*: uarias **ωγ**$^{1}$, «*uera lectio*» *iudice Seru. A plerisque dissentio qui uolunt* uariae uolucres *nominatiuum pendentem esse quocum uerba sequentia per anacoluthon coniungantur. Si post* rores *(385) satis fortiter distinguitur, haec sententia habet pro uerbo infinitum descriptiuum* infundere *et pro subiecto* uariae uolucres. *Postquam cupidas lauandi aues poeta indistincte descripsit, eas per aquam uarie lusitantes oculis subicit* (nunc … nunc … uideas) et qu(a)e **ωγ**, *Seru. hic et ad Aen. 7, 701*: atque **Madfghrvnη** (adque **R**), *ps. Probus*, *Exp.* **386** undas **Mω**: undam **M**$^{A}$**R**$^{1}$**bγ** (indam **R**) **388** tunc **hv**, *Non. 220, 32*, *Isid. 12, 7, 44*: cum *Seru. ad u. 362* **389** *post hunc u.* et (aut **γ**$^{1}$) caput obiectat querulum uenientibus undis *add.* **M**$^{P}$ *ima pag.*, **γ**$^{1}$ *in marg.* **390** ne] nec **bcehjkrxyzΛ** (*praeter* **n**)

nesciuere hiemem, testa cum ardente uiderent
scintillare oleum et putris concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena
prospicere et certis poteris cognoscere signis:
nam neque tum stellis acies obtunsa uidetur,
nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,
tenuia nec lanae per caelum uellera ferri;
non tepidum ad solem pinnas in litore pandunt
dilectae Thetidi alcyones, non ore solutos
immundi meminere sues iactare maniplos.
at nebulae magis ima petunt campoque recumbunt,
solis et occasum seruans de culmine summo
nequiquam seros exercet noctua cantus.
apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
et pro purpureo poenas dat Scylla capillo:
quacumque illa leuem fugiens secat aethera pinnis,
ecce inimicus atrox magno stridore per auras
insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
illa leuem fugiens raptim secat aethera pinnis.
tum liquidas corui presso ter gutture uoces
aut quater ingeminant et saepe cubilibus altis
nescio qua praeter solitum dulcedine laeti
inter se in foliis strepitant: iuuat imbribus actis
progeniem paruam dulcisque reuisere nidos.
haud equidem credo, quia sit diuinitus illis
ingenium aut rerum fato prudentia maior;
uerum ubi tempestas et caeli mobilis umor
mutauere uias et Iuppiter uuidus Austris
denset erant quae rara modo, et quae densa relaxat,
uertuntur species animorum, et pectora motus

**MR**

**395** tunc *Gell. 6, 17, 8*, *Seru. ad Aen. 3, 517* **398** litora **Maehv** **399** ore soluto «*alii*» *ap. Seru.*, *agnoscunt schol. Bern.* **404** aethere **R** **413** in *om.* **abdefghilsznoδη** **418** uias] uices **a²γ** (*corr.* **γ¹**), *idem coniecit Markland ad Stat. silu. 5, 2, 152, cl. Hor. carm. 4, 7, 3* '*mutat terra uices*' uuidus **M**, *ps. Acro ad Hor. epod. 2, 29*: (h)umidus **Rωγ**, *Seru.*, *Prisc. 8, 95* **419** densat **Mᵖdflε**, *Seru. ad u. 393* **420** pectora **MRbjkrnoδγ**: pectore **ω**

nunc alios, alios dum nubila uentus agebat,
concipiunt: hinc ille auium concentus in agris
et laetae pecudes et ouantes gutture corui.
Si uero solem ad rapidum lunasque sequentis
ordine respicies, numquam te crastina fallet
hora neque insidiis noctis capiere serenae.
luna reuertentis cum primum colligit ignis,
si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
maximus agricolis pelagoque parabitur imber;
at si uirgineum suffuderit ore ruborem,
uentus erit: uento semper rubet aurea Phoebe.
sin ortu quarto (namque is certissimus auctor)
pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit,
totus et ille dies et qui nascentur ab illo
exactum ad mensem pluuia uentisque carebunt,
uotaque seruati soluent in litore nautae
Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.
Sol quoque et exoriens et cum se condet in undas
signa dabit: solem certissima signa sequentur,
et quae mane refert et quae surgentibus astris.
ille ubi nascentem maculis uariauerit ortum
conditus in nubem medioque refugerit orbe,
suspecti tibi sint imbres: namque urget ab alto
arboribusque satisque Notus pecorique sinister.
aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
diuersi rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
heu, male tum mitis defendet pampinus uuas:

**MR**

**421** tunc $\gamma^1$ **422** hic **Mi** (*corr.* **M**$^A$) agris] agros **t**: aruis ζ **425** respicias **gz** **426** nec **M** (*corr.* **M**$^x$), *Sen. ep. 88, 16* **430** aut **Mh?v** (*corr.* **M**$^x$): ad **Rr** **432** namque] neque **M** (*corr.* **M**$^A$) **434** nascetur **Rn**: nascuntur **gεζ** **436** ad litora **R** **437** Glaucoque *Wagner, sed uide app. ad uu. 281 et 332* **438** et$^1$ *om.* **Mrvy** condat **fg**: condit **rsγ** (*corr.* $\gamma^1$), *Arus. 485, 10* **439** sequuntur **RΛ** (*praeter* ζ) γ (*fort. ex corr.*) **440** austris **M** (*corr.* **M**$^x$) **446** erumpent **aev**: rumpunt **Rr**, *Seru. ad Aen. 1, 662* surgit **Rbdfgilrszεζ**$\gamma^1$: surgat **t** **448** defendit **cdfro**$\gamma^1$

tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
hoc etiam, emenso cum iam decedit Olympo,
profuerit meminisse magis; nam saepe uidemus
ipsius in uultu uarios errare colores:
caeruleus pluuiam denuntiat, igneus Euros;
sin maculae incipiunt rutilo immiscerier igni,
omnia tum pariter uento nimbisque uidebis
feruere: non illa quisquam me nocte per altum
ire neque a terra moueat conuellere funem.
at si, cum referetque diem condetque relatum,
lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis
et claro siluas cernes Aquilone moueri.
denique, quid Vesper serus uehat, unde serenas
uentus agat nubes, quid cogitet umidus Auster,
sol tibi signa dabit. solem quis dicere falsum
audeat? ille etiam caecos instare tumultus
saepe monet fraudemque et operta tumescere bella.
ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
cum caput obscura nitidum ferrugine texit
impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti

**MR**

**449** tum **dfghry**: quam *Ter. Maur. 1240*, *Non. 208, 7* **450** decedit **MR**: decedet **ω** (decet **cγ**) **454** si **R** incipiunt **MRirγ**: incipient **M**[A]**ω**: incipiant **ε** miscerier **s**, *Exp.* **455** tunc *Non. 464, 10* **457** moueat **M**: moneat **M**[A]**Rωγ**, *Probus 240, 3*, *Prisc. 15, 3*. Moueat *idem ualet quam* '*adigere uel inducere possit*'. *Verba similia similiterque cum infinito modo coniuncta inuenies e.g. in Aen. 1, 9–11* '*uirum … adire … impulerit*'; *4, 575 sq.* '*festinare fugam tortosque incidere funis … instimulat*'; *5, 485 sq.* '*certare … inuitat*'; *6, 695 sq.* '*me … limina tendere adegit*'; *7, 124 sq.* '*te … coget … consumere*'; *cf. georg. 2, 315 sq.* '*nec tibi … quisquam persuadeat auctor / tellurem … mouere*' **460** cernes siluas **bjr** **461** uehat **ω** (ueat **gxnoηγ**), *Rufin. 53, 5*, *Seru.*, *Exp.*, *schol. Bern.*: ferat **M** (uerat **M**[A], *nescio an* r *expuncta*) **R**; *cf. Gell. 13, 11, 1 «lepidissimus liber est M. Varronis ex satiris Menippeis qui inscribitur* '*nescis quid uesper serus vehat*'*»* serenus **b**: serenans *Reiske*, *at pressa est sententia quam explanandam esse puto* '*nubes depellit ita ut caelum serenum reddatur*'

obscenaeque canes importunaeque uolucres
signa dabant. quotiens Cyclopum efferuere in agros
uidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
flammarumque globos liquefactaque uoluere saxa!
armorum sonitum toto Germania caelo
audiit: insolitis tremuerunt motibus Alpes.
uox quoque per lucos uulgo exaudita silentis
ingens, et simulacra modis pallentia miris
uisa sub obscurum noctis, pecudesque locutae
(infandum!); sistunt amnes terraeque dehiscunt,
et maestum inlacrimat templis ebur aeraque sudant.
proluit insano contorquens uertice siluas
fluuiorum rex Eridanus camposque per omnis
cum stabulis armenta tulit. nec tempore eodem
tristibus aut extis fibrae apparere minaces
aut puteis manare cruor cessauit, et altae
per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
non alias caelo ceciderunt plura sereno
fulgura nec diri totiens arsere cometae.
ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum uidere Philippi;
nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
scilicet et tempus ueniet, cum finibus illis
agricola incuruo terram molitus aratro
exesa inueniet scabra robigine pila
aut grauibus rastris galeas pulsabit inanis
grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.
    Di patrii Indigetes et Romule Vestaque mater,
quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia seruas,

**MR**

**470** obscaenaeque **M** (*cf. Aen. 6, 257*; *7, 493 sq.*): o(b)scenique **Rωγ**, *Isid. 1, 37, 12*, *Exp.*, *schol. Bern.* **474** sonitus **cζ** **475** motibus **M**$^{x}$**Rωγ**, *Seru.*: montibus **MR**$^{1}$**bdrεζ**, *Isid. nat. rer. 46* **480** lacrimat **οη** **483** tulit] trahit **bjr** **487** sereno] sinistro **γ**$^{1}$, *agnoscunt schol. Bern.* **491** superi (*uoc.*) **j**, *Markland ad Stat. silu. 3, 5, 68, cl. Lucan. 7, 58 'hoc placet, o superi, cum…?'*; *cf. Seru. ad loc. «quasi exclamatio est ad deos»*

hunc saltem euerso iuuenem succurrere saeclo
ne prohibete! satis iam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus periuria Troiae;
iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
inuidet atque hominum queritur curare triumphos,
quippe ubi fas uersum atque nefas: tot bella per orbem,
tam multae scelerum facies, non ullus aratro
dignus honos, squalent abductis arua colonis,
et curuae rigidum falces conflantur in ensem.
hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum;
uicinae ruptis inter se legibus urbes
arma ferunt; saeuit toto Mars impius orbe:
ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga neque audit currus habenas.

**MR** **514** *desinit* **R**

**503** caeli nobis **R**$^{2}$ (*ex* caeunobis) **s** **505** urbem **οη** **507** dignus] cessit *DSeru. ad Aen. 6, 103* **508** formantur *Non. 380, 33*, *DSeru. ad Aen. 12, 304* **509** illic **ix** **511** improbus *Seru. ad buc. 4, 13* **513** in spatia **M**$^{P}$**ωγ**$^{1}$, *Seru.*: spatia **Rf**, *Exp.*: spatio **Mγ**: se in spatia **cejkv**: se in spatio **irs**: in spatio **ε**, *DSeru.*, *schol. Bern.*; in spatia *et* in spatio *codd. Quint. 8, 3, 78.* Addunt in spatia *intransitiue usurpatur, ita ut sensus sit* '*magis magisque accelerantur crescentibus spatiis*' (*nescio an quid sermonis circensis subsit huic locutioni*). *Verbum intransitiuum actiuum pro passiuo uel reflexiuo multifariam in Vergili libris inuenies: cf. e.g. Aen. 2, 235* '*accingunt omnes operi*'; *6, 800* '*turbant trepida ostia Nili*'; *7, 27* '*uenti posuere*' (*cf. 10, 103*); *10, 240* '*ne castris iungant*'; *11, 382* '*inundant sanguine fossae*'; *11, 830* '*arma relinquunt*'

# LIBER II

Hactenus aruorum cultus et sidera caeli;
nunc te, Bacche, canam, nec non siluestria tecum
uirgulta et prolem tarde crescentis oliuae.
huc, pater o Lenaee (tuis hic omnia plena
muneribus, tibi pampineo grauidus autumno
floret ager, spumat plenis uindemia labris),
huc, pater o Lenaee, ueni nudataque musto
tinge nouo mecum dereptis crura coturnis.
    Principio arboribus uaria est natura creandis.
namque aliae nullis hominum cogentibus ipsae
sponte sua ueniunt camposque et flumina late
curua tenent, ut molle siler lentaeque genistae,
populus et glauca canentia fronde salicta;
pars autem posito surgunt de semine, ut altae
castaneae nemorumque Ioui quae maxima frondet
aesculus atque habitae Grais oracula quercus.
pullulat ab radice aliis densissima silua,
ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
parua sub ingenti matris se subicit umbra.
hos natura modos primum dedit, his genus omne
siluarum fruticumque uiret nemorumque sacrorum.
    Sunt alii, quos ipse uia sibi repperit usus:
hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
deposuit sulcis, hic stirpes obruit aruo
quadrifidasque sudes et acuto robore uallos.

**M**

**8** dereptis **adfgiz**, *schol. Bern.* (*cf. Aen. 1, 211 et 4, 593*): direptis **Mωγ**, *DSeru. ad Aen. 12, 358*  **16** habita **g**, *schol. Bern.*  **19** subigit **M**  **22** alii quos **M**$^2$**ωγ**, *schol. Bern.*: alie quos **M**: alie quas **M**$^1$; aliae quas … uias *Scaliger in proleg. ad Manil.*, *Ribbeck*; uia *i.e. per uiam, progrediente arte ac ratione*  **23** abscidens **cfhjxnoδζγ**  **24** hinc **M** (*corr.* **M**$^x$)

siluarumque aliae pressos propaginis arcus
exspectant et uiua sua plantaria terra;
nil radicis egent aliae, summumque putator
haud dubitat terrae referens mandare cacumen.
quin et caudicibus sectis (mirabile dictu)
truditur e sicco radix oleagina ligno;
et saepe alterius ramos impune uidemus
uertere in alterius mutatamque insita mala
ferre pirum et prunis lapidosa rubescere corna.
    Quare agite o proprios generatim discite cultus,
agricolae, fructusque feros mollite colendo,
neu segnes iaceant terrae. iuuat Ismara Baccho
conserere atque olea magnum uestire Taburnum.
tuque ades inceptumque una decurre laborem,
o decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Maecenas, pelagoque uolans da uela patenti.
non ego cuncta meis amplecti uersibus opto,
non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea uox. ades et primi lege litoris oram;
in manibus terrae: non hic te carmine ficto
atque per ambages et longa exorsa tenebo.
    Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,
infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
quippe solo natura subest. tamen haec quoque, si quis
inserat aut scrobibus mandet mutata subactis,
exuerint siluestrem animum, cultuque frequenti

**M**

**26** pressos] flexos *Seru. ad Aen. 4, 231* (*sed* pressos *hic*); *cf. Aen. 5, 500* **33** mutataque **adijksxy**: naturam atque *Heinsius* **35–38** *post u. 108 transp. Ribbeck* **35** o *om.* **Mch** (*add.* **M**[1]) **36** fructusque] cultusque **M** (*corr.* **M**[2]), *Macrob. 6, 6, 17* mollire *Macrob.* **39–46** *post u. 8 transp. Ribbeck, Hanow secutus*; *uu. 42–46 secundis curis additos censuit Sabbadini* **41** *post u. 42 transp. Peerlkamp, qui* dare *pro* da *coniecit, probante Ribbeck* uolans] uolens *recc.* petenti **γ** **44** oras *Non. 332, 2* **45** ficto] longo *Sen. ben. 7, 1, 1* **47** oras **Mγ**, *Exp.* (*cf. Aen. 7, 660*; *Enn. ann. 114 et 131 Vahl.*[2] [= *109 et 135 Sk.*]; *Lucr. 1, 22 al.*): auras **M**[2]**ωγ**[1], *Seru.* **50** aut] et **bζ**: at **z**: *om.* **r**

in quascumque uoces artis haud tarda sequentur.
nec non et sterilis quae stirpibus exit ab imis
hoc faciat, uacuos si sit digesta per agros;
nunc altae frondes et rami matris opacant
crescentique adimunt fetus uruntque ferentem.
iam quae seminibus iactis se sustulit arbos,
tarda uenit seris factura nepotibus umbram,
pomaque degenerant sucos oblita priores,
et turpis auibus praedam fert uua racemos.
scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
cogendae in sulcum ac multa mercede domandae.
sed truncis oleae melius, propagine uites
respondent, solido Paphiae de robore myrtus;
plantis edurae coryli nascuntur et ingens
fraxinus Herculeaeque arbos umbrosa coronae
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma
nascitur et casus abies uisura marinos.

**M**

**52** uoces **ωγ**, *Seru.*, *Exp.*: uoles **M**$\gamma^1$; uoces *coniunctiuus est indefinitae personae, qui melius quam* uoles *uidetur complementum* in quascumque … artis *recipere; praeterea* uoces *et* sequentur *inter se bene congruunt* (*cf. Aen. 12, 677 'quo … uocat Fortuna sequamur', necnon 9, 21 sq. 'sequor omina tanta, / quisquis in arma uocas'*) **53–260** *cum hi uersus omissi essent in* **γ**, *uu. 53–234 additi sunt in folium insertum* (*quod olim deperditum, nunc in bibliotheca Vniuersitatis Goettingensis seruatur*), *cuius lectiones siglo* **γ*** *laudaui*; *uu. 53–211 post u. 293 denuo add. ex alio fonte manus recentior* (= $\gamma^2$) **54** faciat **Mabdrsεγ***: faciet $M^{x}\omega\gamma^2$, *Seru.*, *Exp.* **56** crescentisque **bf?ksγ*** **57** iam quae $M^{P}\omega$ (iamque **Masyzγ***), *Seru. ad Aen. 2, 615*, *DSeru.*: nam quae $\gamma^2$, *schol. Bern.* **65** edurae **d**, «*alii*» *ap. Seru. et schol. Bern.* (*cf. georg. 4, 145*): et durae $M\omega\gamma^*\gamma^2$, *Seru.*, *Exp.*, *schol. Bern.* coryli *dist. Phillimore* («*CR*» *27, 1913, 21 sqq.*), plantis – coryli *cum superioribus coniungens; attamen si ita distinguis,* nascuntur (*absolute dictum*) *idem ualet ac 'nullis hominum cogentibus ipsae / sponte sua ueniunt'* (*uu. 10 sq.*), *quod contra ipsa Vergili praecepta repugnat: nam, cum uu. 61 sqq. omnino ad arbores artificiose creatas spectent, nulla arbor hic memorari potest quae sponte sua nascatur* nascentur **dt** **67** chaonieque **M** (*cf. georg. 1, 8*)

inseritur uero et fetu nucis arbutus horrida,
et steriles platani malos gessere ualentis;
castaneae fagus ornusque incanuit albo
flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
nec modus inserere atque oculos imponere simplex.
nam qua se medio trudunt de cortice gemmae
et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso
fit nodo sinus; huc aliena ex arbore germen
includunt udoque docent inolescere libro.
aut rursum enodes trunci resecantur, et alte
finditur in solidum cuneis uia, deinde feraces
plantae immittuntur: nec longum tempus, et ingens
exiit ad caelum ramis felicibus arbos

**M**

**69** et nucis arbutus horrida fetu **M**$^{P}$**γ**$^{*1}$, *quod nonnulli edd. immerito probauerunt; nam ordo uerborum est ad arbitrium mutatus ut uersus hypermetrus uitaretur*; *cf. georg. 1, 295* (‘*umorem*’) *et 3, 449* (‘*sulpura*’); *cf. etiam 2, 344 et 443*; *3, 242 et 377, ubi* ‘*-que*’ *metrum excedit. Vide J. Soubiran, L’élision dans la poésie latine, Paris 1966, 466 sqq.*, *et «REL» 58, 1980, 126 sqq.* et **Mω**, *DSeru. ad georg. 1, 75*: ex **dstzγ**$^{*}$**γ**$^{2}$, *Probus 228, 9*, *Victorinus 222, 17* horrida] horrens **r**, «*male quidam*» *ap. Seru. et schol. Bern.*, «*sic in Corneliani*» *Exp.* (*propter metrum*) **70** malis **b**, *fortasse* «*alii*» *ap. DSeru.* («*alii legunt* et steriles platani malis [malos *cod. V*], *ut subintellegas* ‘*inseruntur*’ [‘*inserit*’ *cod. V*]»: *ita textum corruptum restituit Thilo*) **71** fagus **df**$^{2}$, *Prisc. 8, 85* (*nominatiuus singularis*): fagos *cett. codd.*, *Seru.*, *schol. Bern.*, *ut nominatiuus sit Graecus* «*alii*» *ap. Seru.*, *Exp.*: castaneas fagus *Scaliger in proleg. ad Manil.* (*haec uero cum superioribus coniungens, ita ut sit* platani malos gessere ualentis, / castaneas fagus). *At* castaneae *genetiuus est qui genetiuo* piri *respondet* (*sc.* flore); *haud secus quam* ornus, fagus *nominatiuus singularis est, cuius ultima syllaba finalitatis ratione producitur in arsi* (*cf. e.g. georg. 2, 5* ‘*grauidus*’; *3, 189* ‘*inualidus*’; *4, 453* ‘*nullius*’); *quod qui non intellexit quodammodo uoluit metri enormitatem remouere. De hac metrica licentia, permultis exemplis Vergilianis collectis, dilucide docuit R. G. Kent, Mélanges Marouzeau, Paris 1948, 301 sqq.* **74** media **οδη** **76** huc] hic **ghj** **78** innodes **noδ**, *DSeru.* alta **ad** **81** exit **γ**$^{*}$, *Non. 339, 22* (*idem coniecit Lachmann ad Lucr. 3, 1042*): exilit *Non. 302, 5*

miratastque nouas frondes et non sua poma.
Praeterea genus haud unum nec fortibus ulmis
nec salici lotoque neque Idaeis cyparissis,
nec pingues unam in faciem nascuntur oliuae,
orchades et radii et amara pausia baca,
pomaque et Alcinoi siluae, nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris grauibusque uolemis.
non eadem arboribus pendet uindemia nostris
quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos;
sunt Thasiae uites, sunt et Mareotides albae,
pinguibus hae terris habiles, leuioribus illae,
et passo psithia utilior tenuisque lageos
temptatura pedes olim uincturaque linguam,
purpureae preciaeque et, quo te carmine dicam,
Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.
sunt et Aminneae uites, firmissima uina,
Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus,
argitisque minor, cui non certauerit ulla
aut tantum fluere aut totidem durare per annos.
non ego te, dis et mensis accepta secundis,
transierim, Rhodia, et tumidis, bumaste, racemis.
sed neque quam multae species nec nomina quae sint
est numerus (neque enim numero comprendere refert);

**M** **92** *inchoat* **V**

**82** miratastque **M**$^{x}$, *Seru. ut uid.* («*sane* miratastque *legendum est ut stet uersus*», *ubi tamen* miratasque *exhibent codd. Seruiani*): mirataeque (*ut uid.*) **M**: mirata estque **ad**$\gamma^2$: mirataque $\gamma^*$, *Exp.*: miratasque **Φ**, *Exp. ad georg. 1, 54*: miraturque **M**$^{P}$**eΛ**, *ps. Acro ad Hor. epod. 16, 46* (*quid Seru. ad georg. 1, 103 non liquet*) **88** crustumis **Mbr** (*corr.* **M**$^{x}$) **93** lalageos **M** (*corr.* **M**$^{x}$): lagaeos **V** (lageos *schol. Ver.*) **95** preciaeque **V**, *Exp.* (pretiae *ps. Probus*): praeciaeque **M**, *Seru.* (*ut uid.*), *quod fortasse praeferendum est, si synizesis admittitur* (*cf. georg. 1, 482* ‘*fluuiorum*’; *4, 243* ‘*stelio*’) carmine] nomine *Sen. nat. quaest. 1, 11, 2* **96** ideo] adeo *recc.*, *Arus. 459, 7* **97–117** *om.* $\gamma^*$ **97** et] etiam **ceghijsvxynoδ** aminneae **Mtzoη**, *testatur Seru.*: amineae **ω**$\gamma^2$, *Prisc. 17, 158*, *Exp.*, *schol. Bern.* (*euan. in* **V**) **98** tmolius **ω** (ut molius **f?z?**, tmollius **roη**, timolius **vζ**), *ps. Probus*, *Seru.*, *schol. Bern.* (tmoleus *Exp.*): molius **Ma?**: t(h)molus **h?t?**: mollius $\gamma^2$ (*euan. in* **V**) adsurget *ps. Probus* **99** cui] qui **br** **104** numero] numerum *Colum. 3, 2, 29*

quem qui scire uelit, Libyci uelit aequoris idem
discere quam multae Zephyro turbentur harenae
aut, ubi nauigiis uiolentior incidit Eurus,
nosse quot Ionii ueniant ad litora fluctus.
Nec uero terrae ferre omnes omnia possunt.
fluminibus salices crassisque paludibus alni
nascuntur, steriles saxosis montibus orni;
litora myrtetis laetissima; denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem et frigora taxi.
aspice et extremis domitum cultoribus orbem
Eoasque domos Arabum pictosque Gelonos:
diuisae arboribus patriae. sola India nigrum
fert hebenum, solis est turea uirga Sabaeis.
quid tibi odorato referam sudantia ligno
balsamaque et bacas semper frondentis acanthi?
quid nemora Aethiopum molli canentia lana,
uelleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
aut quos Oceano propior gerit India lucos,
extremi sinus orbis, ubi aëra uincere summum
arboris haud ullae iactu potuere sagittae?
et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristis sucos tardumque saporem
felicis mali, quo non praesentius ullum,
pocula si quando saeuae infecere nouercae
[miscueruntque herbas et non innoxia uerba],
auxilium uenit ac membris agit atra uenena.

**MV** **117** *desinit* **V**

**106** discere **ekvxyεη**: dicere **MVωγ**$^2$, *Colum.*, *Amm. Marc. 31, 4, 6* (*cod. V*), *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 28, 1*; *cf. georg. 1, 351*; *ud. etiam* 108 nosse turbantur **dz**, *Char. 103, 23*: truduntur *Amm. Marc.* **108** quod **Vabvnoγ**$^2$ **121** depectat «*alii*» *ap. Seru.* (*ita ut* Seres *pro singulari* '*Ser*' *positum sit*) **122** propior **ωγ***, *Seru.*: proprior **Mabvznγ**$^2$ **124** haud] aut **Mbrεγ*γ**$^2$, *Probus 260, 23* ullo *Non. 241, 26* (*sed* ullae *418, 23*) **125** non tarda] aut dura **γ*** (*corr.* **γ***$^1$) **127** praestantius **n**, *Macrob. 3, 19, 3* **129** (= *georg. 3, 283*) *om.* **Mx**, *post Heyne secl. Ribbeck*: *habent* **M**$^2$ (*hunc u. erasit et denuo scripsit manus librario simillima*) **ωγ*γ**$^2$, *Non. 345, 19*, *interpretantur Seru.*, *schol. Bern.* miscuerantque **aetvzε**: miscuerintque **fgis**

ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro,
et, si non alium late iactaret odorem,
laurus erat: folia haud ullis labentia uentis,
flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
ora fouent illo et senibus medicantur anhelis.
    Sed neque Medorum siluae, ditissima terra,
nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.
haec loca non tauri spirantes naribus ignem
inuertere satis immanis dentibus hydri,
nec galeis densisque uirum seges horruit hastis;
sed grauidae fruges et Bacchi Massicus umor
impleuere, tenent oleae armentaque laeta.
hinc bellator equus campo sese arduus infert,
hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus
uictima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
hic uer adsiduum atque alienis mensibus aestas:
bis grauidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
at rabidae tigres absunt et saeua leonum
semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
nec rapit immensos orbis per humum neque tanto
squameus in spiram tractu se colligit anguis.
adde tot egregias urbes operumque laborem,
tot congesta manu praeruptis oppida saxis
fluminaque antiquos subterlabentia muros.
an mare quod supra memorem quodque adluit infra?
anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque,
fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino?

**M** **139** *inchoat* **P**

**131** arbor **aceikrstvΛ** (*praeter* η) $\gamma^*\gamma^2$ **136** siluae ditissima *coniungit Heyne*; *at* ditissima terra *appositiua adiunctio uidetur esse, quod schema non insolitum est Vergilio* (*cf. georg. 2, 97* '*firmissima uina*'; *Aen. 3, 106* '*uberrima regna*') terra] regna $\mathbf{M}^A$ **148** at **MP** (*corr.* $\mathbf{M}^2$) **151** rapidae **Pbrtz**$\gamma^*$, *Seru. codd. aliquot, Exp.* **152–168** *erasi sunt in* $\gamma^*$

an memorem portus Lucrinoque addita claustra
atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Auernis?
haec eadem argenti riuos aerisque metalla
ostendit uenis atque auro plurima fluxit;
haec genus acre uirum, Marsos pubemque Sabellam
adsuetumque malo Ligurem Volscosque uerutos
extulit, haec Decios Marios magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar,
qui nunc extremis Asiae iam uictor in oris
imbellem auertis Romanis arcibus Indum.
salue, magna parens frugum, Saturnia tellus,
magna uirum: tibi res antiquae laudis et artem
ingredior sanctos ausus recludere fontis
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.
  Nunc locus aruorum ingeniis, quae robora cuique,
quis color et quae sit rebus natura ferendis.
difficiles primum terrae collesque maligni,
tenuis ubi argilla et dumosis calculus aruis,
Palladia gaudent silua uiuacis oliuae:
indicio est tractu surgens oleaster eodem
plurimus et strati bacis siluestribus agri.
at quae pinguis humus dulcique uligine laeta,
quique frequens herbis et fertilis ubere campus
(qualem saepe caua montis conualle solemus
despicere; huc summis liquuntur rupibus amnes
felicemque trahunt limum) quique editus Austro

**MP**

**161** an] quid *Rufin. 62, 21* **164** auerni **nδη** **169** Marios] Curios *Richter, alii alia* **170** bello] ferro **b** **174** artem **Pγ***: artis **Mωγ**$^2$, *Seru. in praef. georg.* **177** cuique] cano **γ*** **178** quis] qui **P** (*corr. ead. man.*) ferendis] creandis **g**$^2$**Λ** (*cf. u. 9*) **181** gaudent **Pbkγ**$^2$: gaudet **Mωγ***, *Ter. Maur. 1222* **182** est *om.* **M** (*add.* **M**$^2$): indiciost **P** **184** at quae **M**$^A$**Pbdf?jktnδ**: atque **Mωγ*γ**$^2$ **186** solemus] uidemus **P** **187** dispicere **dfsγ*γ**$^2$ hoc **P** (*corr.* **P**$^x$) linquuntur **Phj** rupibus] montibus *Seru. ad Aen. 9, 31* (*cf. Aen. 4, 164*)

et felicem curuis inuisam pascit aratris:
hic tibi praeualidas olim multoque fluentis
sufficiet Baccho uitis, hic fertilis uuae,
hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
inflauit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
sin armenta magis studium uitulosque tueri
aut ouium fetum aut urentis culta capellas,
saltus et saturi petito longinqua Tarenti,
et qualem infelix amisit Mantua campum
pascentem niueos herboso flumine cycnos:
non liquidi gregibus fontes, non gramina derunt,
et quantum longis carpent armenta diebus
exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
nigra fere et presso pinguis sub uomere terra
et cui putre solum (namque hoc imitamur arando),
optima frumentis (non ullo ex aequore cernes
plura domum tardis decedere plaustra iuuencis),
aut unde iratus siluam deuexit arator
et nemora euertit multos ignaua per annos
antiquasque domos auium cum stirpibus imis
eruit: illae altum nidis petiere relictis,
at rudis enituit impulso uomere campus.
nam ieiuna quidem cliuosi glarea ruris
uix humilis apibus casias roremque ministrat;
et tofus scaber et nigris exesa chelydris
creta negant alios aeque serpentibus agros

**MP** **215** *inchoat* **R**

**189** felicem **Mabe?ksvxγ*** (*cf. georg. 3, 297*): filicem **Pω**; *quaesita uidetur adnominatio* (felicemque / et felicem) *per uocalicae mensurae uariationem facta* **190** multosque **M** **191** sufficit et **P**: sufficiat **γ*** **192** hic] hinc *ps. Probus* **194** pandis] patulis **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **196** ouium fetum **Pdnoη**: ouium fetus **Mωγ*γ**$^{2}$, *Non. 206, 5*, *Prisc. 5 sub fin.* (*p. 192, 36*): fetus ouium **k** **197** et saltus **dstxzγ*** **200** derunt **MPab**: deerunt **M**$^{x}$**krxy**: desunt **ωγ*γ**$^{2}$ **202** reponit **Mbcg**: reponat **f** (-naet **γ***) **203** et *om.* **afghijk** (fere et *om.* **sγ***) **204** cui] qui **P** imitatur **M** (*corr.* **M**$^{A}$): imitantur *recc.* **208** uertit **Pfit**: auertit **s**

dulcem ferre cibum et curuas praebere latebras.
quae tenuem exhalat nebulam fumosque uolucris
et bibit umorem et, cum uult, ex se ipsa remittit,
quaeque suo semper uiridi se gramine uestit
nec scabie et salsa laedit robigine ferrum,
illa tibi laetis intexet uitibus ulmos,
illa ferax oleae est, illam experiere colendo
et facilem pecori et patientem uomeris unci:
talem diues arat Capua et uicina Vesaeuo
ora iugo et uacuis Clanius non aequus Acerris.
    Nunc quo quamque modo possis cognoscere dicam.
rara sit an supra morem si densa requires
(altera frumentis quoniam fauet, altera Baccho,
densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo),
ante locum capies oculis alteque iubebis
in solido puteum demitti omnemque repones
rursus humum et pedibus summas aequabis harenas.
si derunt, rarum pecorique et uitibus almis
aptius uber erit; sin in sua posse negabunt
ire loca et scrobibus superabit terra repletis,
spissus ager: glaebas cunctantis crassaque terga
exspecta et ualidis terram proscinde iuuencis.
salsa autem tellus et quae perhibetur amara
(frugibus infelix ea, nec mansuescit arando
nec Baccho genus aut pomis sua nomina seruat)
tale dabit specimen. tu spisso uimine qualos
colaque prelorum fumosis deripe tectis;
huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae
ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis

**MPR**

**219** uiridi semper **ω** (*praeter* **brnoη**) **γ*** uiridis *recc.* uestit] uertit **fkxyz** **220** et] aut **M**$^{A}$**toη**, *Seru. codd. aliquot* **221** intexit **Pcdzζγ*** **222** oleae **Mω**: oleo **PRadhijr?sγ***, *Arus. 473, 18*, *Non. 500, 28* **225** ora] Nola *Vergilium primo edidisse narrant Gell. 6, 20, 1*, *DSeru.* **226** quocumque **R** **227** requires **M**$^{x}$ (relquires **M**) **Pbfr**: requiras **M**$^{A}$**Rωγ*** **231** dimitti **abfzδεζ** **235–260** *omnino desunt in* **γ** **237** exspecta] exerce **Ra**$^{2}$**b** et *om.* **M** (*add.* **M**$^{A}$): ac **a**$^{2}$

scilicet et grandes ibunt per uimina guttae;
at sapor indicium faciet manifestus et ora
tristia temptantum sensu torquebit amaro.
pinguis item quae sit tellus, hoc denique pacto
discimus: haud unquam manibus iactata fatiscit,
sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
umida maiores herbas alit, ipsaque iusto
laetior. a, nimium ne sit mihi fertilis illa,
nec se praeualidam primis ostendat aristis!
quae grauis est, ipso tacitam se pondere prodit,
quaeque leuis. promptum est oculis praediscere nigram,
et quis cui color. at sceleratum exquirere frigus
difficile est: piceae tantum taxique nocentes
interdum aut hederae pandunt uestigia nigrae.
    His animaduersis terram multo ante memento
excoquere et magnos scrobibus concidere montis,
ante supinatas Aquiloni ostendere glaebas
quam laetum infodias uitis genus. optima putri
arua solo: id uenti curant gelidaeque pruinae
et labefacta mouens robustus iugera fossor.
at si quos haud ulla uiros uigilantia fugit,

**MPR**

**247** sensu **MPRω**, «*plerique omnes*» *ap. Gell. 1, 21, 1*, *Macrob. 6, 1, 47*, *schol. Stat. Theb. 5, 392*, *Seru.*, *Exp.*: sensus **t**, *Hyginus ap. Gell. 1, 21, 2* amaro **MPRΦ**, «*plerique omnes*» *ap. Gell.*, *Macrob.*, *schol. Stat. ut uid.*, «*multi*» *ap. Seru.*: amaror **M**$^2$**bktvyΛ** (amaros **z**), *Hyginus ap. Gell.*, «*uera lectio*» *iudice Seru.* (*cf. Lucr. 4, 224*); *de hac quaestione fuse disseruit S. Timpanaro, Per la storia della filol. virgil. ant., Roma 1986, 51 sqq.*; *Id., Virgilianisti antichi e tradiz. indir., Firenze 2001, 17 sqq.* **253** nec] neu **M**$^A$**gikrsxη** **254** prodet **M** **255** praedicere **Rbr** (*cf. georg. 1, 252*) **256** quis cui **ab?f?** (*duplex interrogatio*: '*quis color cui telluri sit*'; *uide K.-S. II.2, 497*): quis cuique **Mc?r**, «*male quidam*» *ap. Seru.* «*excludentes* at» (*cf. georg. 3, 102*): quis cuiciue **R**: quisquis **Pω**, «*uera lectio*» *iudice Seru.* color] «*alii* colos *legunt, ut excluso* s *fiat synalipha … quod non procedit*» *Seru.* at **MRω**, *Non. 311, 6*, *Seru.*: ad **Pb**: et **cr?**: ac **f**: *om.* **adz** **259** animam aduersis **P** (animo aduersis *fortasse* **P**$^2$, *corr. ead. uel al. man.*): animum aduersis *Ribbeck* **260** concidere] circumdare **PR** **261** *hinc redit* **γ** **262–263** putris … soli **b** **265** at **Pωγ**: ac **Ma**: ad **R** haud **ωγ** (haut **M**$^A$**cf**): aut **MPRbh**

ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
arboribus seges et quo mox digesta feratur,
mutatam ignorent subito ne semina matrem.
quin etiam caeli regionem in cortice signant,
ut, quo quaeque modo steterit, qua parte calores
austrinos tulerit, quae terga obuerterit axi,
restituant: adeo in teneris consuescere multum est.
collibus an plano melius sit ponere uitem,
quaere prius. si pinguis agros metabere campi,
densa sere (in denso non segnior ubere Bacchus);
sin tumulis adcliue solum collesque supinos,
indulge ordinibus; nec setius omnis in unguem
arboribus positis secto uia limite quadret:
ut saepe ingenti bello cum longa cohortis
explicuit legio et campo stetit agmen aperto
derectaeque acies ac late fluctuat omnis
aere renidenti tellus, necdum horrida miscent
proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis.
omnia sint paribus numeris dimensa uiarum,
non animum modo uti pascat prospectus inanem,
sed quia non aliter uires dabit omnibus aequas
terra, neque in uacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.
ausim uel tenui uitem committere sulco;
altior ac penitus terrae defigitur arbos,
aesculus in primis, quae quantum uertice ad auras

**MPR** **274** *inchoat* **V**

**267** sedes **P** (*corr.* **P**[2]) degesta **acfijksvx** (egesta **gh**) ferantur **P** (*corr.* **P**[2]) **268** mutata **Pdgjrsoδεζγ**, *Seru. ad u. 27* **270–271** steterint … tulerint **M** (*corr.* **M**[x]) **271** obuerteret **cfghijsz** **274** campos **Pγ**[1] (campus **γ**) **276** supini *Non. 326, 10* **278** secto] saepto **M** (*corr.* **M**[A]) *post* quadret *fortius et post 283* armis *leuius dist. Wagner* **281** directaeque **aikstzΛ** (*praeter* **o**) **γ**[1] **282** renitenti **ω** (*praeter* **abdoη**; retinenti **e**, nitenti **nδ**) **284** demensa **M** (*corr.* **M**[x]) **Φ** (*praeter* **ckrt**) **287** neque **MVωγ**: nec **PR** poterint **Ps** (*corr.* **P**[2]) se *om.* **PR** **290** alterior **R**: altius **ω** (*praeter* **befgvzδη**) **γ**[1] terrae penitus **V**

aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
ergo non hiemes illam, non flabra neque imbres
conuellunt: immota manet multosque nepotes,
multa uirum uoluens durando saecula uincit;
tum fortis late ramos et bracchia pandens
huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.
Neue tibi ad solem uergant uineta cadentem,
neue inter uitis corylum sere, neue flagella
summa pete aut summa defringe ex arbore plantas
(tantus amor terrae), neu ferro laede retunso
semina, neue oleae siluestris insere truncos:
nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
qui furtim pingui primum sub cortice tectus
robora comprendit, frondesque elapsus in altas
ingentem caelo sonitum dedit; inde secutus
per ramos uictor perque alta cacumina regnat
et totum inuoluit flammis nemus et ruit atram
ad caelum picea crassus caligine nubem,
praesertim si tempestas a uertice siluis
incubuit, glomeratque ferens incendia uentus.
hoc ubi, non a stirpe ualent caesaeque reuerti
possunt atque ima similes reuirescere terra;
infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor
tellurem Borea rigidam spirante mouere.

**MPRV** **299** *desinit* **V**

**292** radice **RVωγ**: radicem **MP**; *cf. Aen. 4, 446* **293** neque] nec **Vnγ** **294** nepotes **MPRV²a²bg²**: per annos **Vωγ**, *Non. 525, 23* (*cf. georg. 4, 208*) **295** durando] uiuendo **a²b**, *DSeru. ad Aen. 11, 160* (*sed* durando *hic*); *cf. Lucr. 1, 202 et 3, 948* **296** pandens **Vγ** (*cf. Aen. 6, 282*): tendens **MPRV²ω**, *Don. ad Ter. Phorm. 106*; *utrumque agnoscunt schol. Bern.*; pandens *fere idem ualet ac 'proferens in latitudinem', itaque non solum cum* late *congruit, sed etiam cum 297* ingentem … umbram: *coma arboris late patens uidelicet ingentem circumfundit umbram; equidem suspicor lectionem* tendens *ex 292* tendit *ortam esse* **300** summa²] summas **acvznoδ** **302** oleae **PRωγ**, *Seru.*, *Exp.*, *schol. Bern.*: olea **M** (*cf. Praef. 108*) **304** primum pingui **r** **316** rigidam] gelidam **a²**, *agnoscunt schol. Bern.* mouere **Mωγ**, *DSeru.*: moueri **PRf**, *Non. 380, 29*

rura gelu tum claudit hiems, nec semine iacto
concretam patitur radicem adfigere terrae.
optima uinetis satio, cum uere rubenti
candida uenit auis longis inuisa colubris,
prima uel autumni sub frigora, cum rapidus Sol
nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aestas.
uer adeo frondi nemorum, uer utile siluis,
uere tument terrae et genitalia semina poscunt.
tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
coniugis in gremium laetae descendit et omnis
magnus alit magno commixtus corpore fetus.
auia tum resonant auibus uirgulta canoris,
et Venerem certis repetunt armenta diebus;
parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
laxant arua sinus; superat tener omnibus umor,
inque nouos soles audent se gramina tuto
credere, nec metuit surgentis pampinus Austros
aut actum caelo magnis Aquilonibus imbrem,
sed trudit gemmas et frondes explicat omnis.
non alios prima crescentis origine mundi
inluxisse dies aliumue habuisse tenorem
crediderim: uer illud erat, uer magnus agebat
orbis et hibernis parcebant flatibus Euri,
cum primae lucem pecudes hausere, uirumque
terrea progenies duris caput extulit aruis,

**MPR**

**317** tum **Pωγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 4, 10*: tunc **MR** (*utrumque codd. Seru. ad georg. 1, 44*) **318** concretam **M**$^{A}$**PRωγ**, *Seru.*, *DSeru.*, *Exp.*, *schol. Bern.*: concretum **M** **321** frigore **bc** **323** siluae *Donatus ap. Seru.* (*ita ut, mutata distinctione,* siluae uere tument *coniungantur et* terrae *genetiuus sit*) **324** pascunt **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **325** tunc **R** **327** permixtus *Lact. diu. inst. 1, 5, 19* **328** tunc **R** **330** zephyrisque **M** (*corr.* **M**$^{x}$) tepentibus **MtΛ** (*cf. Ou. met. 1, 107*): trementibus **PRΦγ**; *utrumque agnoscunt schol. Bern.* austris **P** (*corr.* **P**$^{x}$) **332** gramina **MRωγ**, *Seru.*, «*male quidam*» *ap. DSeru.*: gramine **P**: germina **n**$^{2}$, *recc.*, *Celsus ap. DSeru.* **336** alias **P** **339** hiberni **M** **340** primum **bfghijrvzεγ**, *agnoscunt schol. Bern. ut uid.*: primam **Λ** (prima **ζ**) **341** terrea **M**$^{A}$, *DSeru. ut uid.*: ferrea **MPRωγ**, *Seru.*, *Exp.*, *schol. Bern.* (*uariant codd. Lact. diu. inst. 2, 10, 16*)

immissaeque ferae siluis et sidera caelo.
nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
si non tanta quies iret frigusque caloremque
inter, et exciperet caeli indulgentia terras.
  Quod superest, quaecumque premes uirgulta per agros
sparge fimo pingui et multa memor occule terra,
aut lapidem bibulum aut squalentis infode conchas:
inter enim labentur aquae, tenuisque subibit
halitus, atque animos tollent sata. iamque reperti
qui saxo super atque ingentis pondere testae
urgerent: hoc effusos munimen ad imbres,
hoc, ubi hiulca siti findit Canis aestifer arua.
  Seminibus positis superest diducere terram
saepius ad capita et duros iactare bidentis,
aut presso exercere solum sub uomere et ipsa
flectere luctantis inter uineta iuuencos;
tum leuis calamos et rasae hastilia uirgae
fraxineasque aptare sudes furcasque ualentis,
uiribus eniti quarum et contemnere uentos
adsuescant summasque sequi tabulata per ulmos.
  Ac dum prima nouis adolescit frondibus aetas,
parcendum teneris, et dum se laetus ad auras
palmes agit laxis per purum immissus habenis,
ipsa acie nondum falcis temptanda, sed uncis
carpendae manibus frondes interque legendae.
inde ubi iam ualidis amplexae stirpibus ulmos

**MPR** **352** *inchoat* **V**

**343** possint **M** (*corr.* **M**$^{2}$, *sed rursus* possint *ead. uel al. man.*) **afg**: possunt **ij** sufferre **Mb?** (*corr.* **M**$^{2}$) **344** caloremque **MRωγ**, *Non. ter*, *DSeru.*: calorque **Pr**, «*fuit prior lectio*» *teste DSeru.*: calorem (*om.* -que) **cfgjstxδγ**$^{1}$ (*cf. Praef. 99–100 et apparatum ad u. 69*) **345** exciperent **Rγ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **351** ingenti **M** (*corr.* **M**$^{A}$), *Non. 418, 16* **353** scindit **P** **354** diducere **PRVbcdhkrz**: deducere **Mωγ** (ducere **j**), *Non. 457, 29* **358** rassa **P** **359** ualentis **MPRabc?fgh?k?rvyγ**: bicornes **VdeijstxzΛ** (*cf. georg. 1, 264*); *utrumque agnoscunt schol. Bern.* **360** inniti **noδ** quorum **br** **362** ac] at **noη** adolescet **fgrγ** aestas **Pbv** **364** aget **abcd?krsvxyz** **365** acie **MRV**$^{2}$**ωγ**, *Probus 252, 10*: acies **M**$^{A}$**PVa**, *Exp.*; *utrumque agnoscunt Seru.*, *schol. Bern.* falcis nondum **Φ** (*praeter* **br**) **δζ**

exierint, tum stringe comas, tum bracchia tonde
(ante reformidant ferrum), tum denique dura
exerce imperia et ramos compesce fluentis.
texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,
praecipue dum frons tenera imprudensque laborum;
cui super indignas hiemes solemque potentem
siluestres uri adsidue capreaeque sequaces
inludunt, pascuntur oues auidaeque iuuencae;
frigora nec tantum cana concreta pruina
aut grauis incumbens scopulis arentibus aestas,
quantum illi nocuere greges durique uenenum
dentis et admorso signata in stirpe cicatrix.
non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
caeditur et ueteres ineunt proscaenia ludi,
praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere atque inter pocula laeti
mollibus in pratis unctos saluere per utres.
nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
uersibus incomptis ludunt risuque soluto,
oraque corticibus sumunt horrenda cauatis
et te, Bacche, uocant per carmina laeta, tibique

**MPRV** **377** *desinit* **V**

**368** tum[1]] tunc **MRc**, *Non. 403, 5* tum[2]] tunc **MR**, *Non.* **369** ne formidant **cfhjtv?** (nec formidant **x**): ne formident **ags**: reformident **nδη** (formident **o**): formidabant **i** tunc **R**, *Non. 295, 9* (*sed* tum *303, 30*) **370** fluentis] ualentis **R** **371** et *om.* **Mcr** (*add.* **M**[A]), *Non. 412, 8* tuendum **R** **373–375** *hos uersus deleri Vergilium uoluisse, in eorum locum uu. 376–379 positis, suspicatus est Ribbeck* (*uu. 376–379 secundis curis additos esse censuit etiam Sabbadini*) **374** capreaeque **M**[A]**PVωγ** (capraeaeque **R**), *Auson. cento 18*, *Seru. hic et ad Aen. 5, 193*: capraeque **Mcdrst**, *DSeru. ad Aen. 2, 64* **377** aestus **adznoδ** **379** admorso **ωγ** (amorso **M**), *Seru. hic et ad u. 196*, *DSeru. ad u. 367*, *schol. Bern. ad u. 371*: admorsu **Rbζ** (amorsu **M**[A]): admorsum **Pη** (ad morsum *Ribbeck*): admorsus **a?dj?rs** **382** ingeniis **R**, «*quidam*» *ap. DSeru.*: ingentis (-tes) **MPωγ**, *Non. 196, 7*, *ps. Probus*, *Prisc. 2, 35*, *schol. Bern. in lemm.* (*sed* ingeniis *explicatur, ut uid.*); in gentis *Ribbeck* **384** saluere **MPvyγ**, *Seru.*, *Exp.*, *Gramm.*: saliere **M**[x]**Rωγ**[1], *Arus. 511, 1*, *GLK V, 593, 2*, *ps. Probus*; «saliere … *in quibusdam tamen inuenitur codicibus etiam* saluere *scriptum*» *Prisc. 10, 51* **385** missa] orsa *ps. Probus*

oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
hinc omnis largo pubescit uinea fetu,
complentur uallesque cauae saltusque profundi
et quocumque deus circum caput egit honestum.
ergo rite suum Baccho dicemus honorem
carminibus patriis lancesque et liba feremus,
et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
pinguiaque in ueribus torrebimus exta colurnis.
  Est etiam ille labor curandis uitibus alter,
cui numquam exhausti satis est: namque omne quotannis
terque quaterque solum scindendum glaebaque uersis
aeternum frangenda bidentibus, omne leuandum
fronde nemus. redit agricolis labor actus in orbem,
atque in se sua per uestigia uoluitur annus.
ac iam olim, seras posuit cum uinea frondes
frigidus et siluis Aquilo decussit honorem,
iam tum acer curas uenientem extendit in annum
rusticus et curuo Saturni dente relictam
persequitur uitem attondens fingitque putando.
primus humum fodito, primus deuecta cremato
sarmenta et uallos primus sub tecta referto;
postremus metito. bis uitibus ingruit umbra,
bis segetem densis obducunt sentibus herbae;
durus uterque labor: laudato ingentia rura,
exiguum colito. nec non etiam aspera rusti
uimina per siluam et ripis fluuialis harundo
caeditur, incultique exercet cura salicti.
iam uinctae uites, iam falcem arbusta reponunt,

**MPR**

**395** aras *Macrob. 3, 5, 8* **398** exhaustis **Mab?cfv?**: exhausto **r** **405** extendet **M** **406** rusticus] agricola **R** **409** primus uallos *Seru. ad Aen. 9, 146* primum **br** **411** inducunt **P** **413** asper **M** (*corr.* **M**$^{A}$) rusti **M**$^{A}$**PRkrtz?Λγ**, *DSeru.*, *Exp.*: etrusci **M**: rusci **Φεγ**$^{1}$, *Seru.* (*cf. buc. 7, 42*); «rusti, rusci *magis legendum*» *schol. Bern.* **414** ripis] rupes **P** **416** uictae **MPar** (*corr.* **M**$^{1}$)

iam canit effectos extremus uinitor antes;
sollicitanda tamen tellus puluisque mouendus
et iam maturis metuendus Iuppiter uuis.
Contra non ulla est oleis cultura, neque illae
procuruam exspectant falcem rastrosque tenacis,
cum semel haeserunt aruis aurasque tulerunt;
ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
sufficit umorem et grauidas, cum uomere, fruges.
hoc pinguem et placitam Paci nutritor oliuam.
poma quoque, ut primum truncos sensere ualentis
et uiris habuere suas, ad sidera raptim
ui propria nituntur opisque haud indiga nostrae.
nec minus interea fetu nemus omne grauescit,
sanguineisque inculta rubent auiaria bacis.
tondentur cytisi, taedas silua alta ministrat,
pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.
[et dubitant homines serere atque impendere curam?]
quid maiora sequar? salices humilesque genistae,
aut illae pecori frondem aut pastoribus umbram

**MPR**

**417** effectos **M**$^2$ (etfectos **M**) **PRωγ**, *Non. 30, 6*, *ps. Probus*, «*quidam*» *ap. Seru.*, *schol. Bern.*: effetos **d**: effectus **isyznδ** (effecus **k**, effetus **ε**), «*melius*» *iudice Seru.*, «*alii*» *ap. schol. Bern.* extremus **MPRbdfhjrnδηγ**, *Non.*: extremos **ωγ**$^1$, *Seru.* **420** non ulla est **Mωγ**$^1$ (non ullast **P**), *Seru.*: non nulla est **Rbeoγ**, «*alii*» *ap. Seru.* (*utrumque codd. Prisc. 14, 41*): nulla est (*om.* non) *Probus 254, 5* **425** placidam **adznδη**, *Diom. 454, 27*, *Seru. ad Aen. 11, 660* nutritor **M**$^x$**Rωγ**, *Seru. hic et ad Aen. 11, 660*, *Exp.*, *Gramm.*: nutritur **MPbj**; *utrumque agnoscunt schol. Bern.* **426** uncos **P** **427** et] ut **noδη** **431** *post 432 habet* **R** **432** et] ac **Rcr** **433** *om.* **M**, *non interpr. Seru.*, *schol. Bern.*, *secl. Ribbeck*: *habent* **PRωγ**, *secundis curis additum censuit Sabbadini. Hunc uersum, qui non modo alienus huic loco est sed etiam per se insulsus, puto esse interpolatum; nam locutionibus ex ipso Vergilio sumptis uidetur confectus* (*cf. Aen. 6, 806* '*et dubitamus adhuc...*'; *georg. 2, 61* '*est labor impendendus*'; *3, 74* '*impende laborem*'; *3, 124* '*impendunt curas*'). *Quae autem causa est cur poeta homines nunc impellat ut curam impendant in arbores colendas, si tota haec carminis pars de iis arboribus dicit quae minime postulent hominum curam?* (*cf. 428* '*ui propria nituntur opisque haud indiga nostrae*' *et 439* '*hominum non ulli obnoxia curae*') **435** illae] tiliae «*multi*» *ap. Seru.* umbram **MPt** (*cf. u. 58*): umbras **Rωγ** (*cf. georg. 4, 146*)

sufficiunt saepemque satis et pabula melli.
et iuuat undantem buxo spectare Cytorum
Naryciaeque picis lucos, iuuat arua uidere
non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.
ipsae Caucasio steriles in uertice siluae,
quas animosi Euri adsidue franguntque feruntque,
dant alios aliae fetus, dant utile lignum
nauigiis pinus, domibus cedrumque cupressosque;
hinc radios triuere rotis, hinc tympana plaustris
agricolae et pandas ratibus posuere carinas.
uiminibus salices fecundae, frondibus ulmi;
at myrtus ualidis hastilibus et bona bello
cornus, Ityraeos taxi torquentur in arcus.
nec tiliae leues aut torno rasile buxum
non formam accipiunt ferroque cauantur acuto,
nec non et torrentem undam leuis innatat alnus
missa Pado, nec non et apes examina condunt
corticibusque cauis uitiosaeque ilicis aluo.
quid memorandum aeque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit; ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoecumque Pholumque
et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, sua si bona norint,
agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis
fundit humo facilem uictum iustissima tellus.
si non ingentem foribus domus alta superbis
mane salutantum totis uomit aedibus undam,
nec uarios inhiant pulchra testudine postes

**MPR**

**437** cytoron *ps. Probus* **439** hominum *dist.* **M**$^{2}$ non nulli **b?vnγ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **440** caucasio **MRΦοη**, *Seru.*: caucaseo **PbcrsΛγ**, *Exp.*, *schol. Bern.* **443** pinus **Pcdγ**: pinos **MRωγ**$^{1}$ **446** fecundae *dist.* **M**$^{x}$; «uiminibus – fecundae, *legitur et* fecundae frondibus ulmi» *Seru.* **447** at] ad **MPRa?r** (*corr.* **M**$^{A}$) **449** aut] et *Non. 194, 23*, *Cledon. 41, 1*, *Seru. ad Aen. 9, 619 et 12, 766* **451** torquentem **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **453** alueo **R** **454** aeque] et quae «*alii*» *ap. Seru.* **456** rh(o)ecumque **P**: r(h)oetumque **MRωγ**, *schol. Stat. Ach. 1, 111*, *DSeru.* (*cf. Aen. 9, 344*)

inlusasque auro uestes Ephyreiaque aera,
alba neque Assyrio fucatur lana ueneno,
nec casia liquidi corrumpitur usus oliui:
at secura quies et nescia fallere uita,
diues opum uariarum, at latis otia fundis,
speluncae uiuique lacus et frigida tempe
mugitusque boum mollesque sub arbore somni
non absunt; illic saltus ac lustra ferarum
et patiens operum exiguoque adsueta iuuentus,
sacra deum sanctique patres; extrema per illos
Iustitia excedens terris uestigia fecit.
    Me uero primum dulces ante omnia Musae,
quarum sacra fero ingenti percussus amore,
accipiant caelique uias et sidera monstrent,
defectus solis uarios lunaeque labores,
unde tremor terris, qua ui maria alta tumescant
obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
quid tantum Oceano properent se tingere soles
hiberni, uel quae tardis mora noctibus obstet.
sin has ne possim naturae accedere partis
frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,

**MPR**

**464** inlusasque **M**$^{x}$**ωγ**$^{1}$, *Seru.* («inlusas auro *in quibus artifex auro ludens aliqua depinxerat*»), *Exp.*: inclusasque **MPRazζ** (inclausasque **γ**), «*male quidam*» *ap. Seru.*; *utrumque agnoscunt schol. Bern. ut uid.* **465** nec **Rγ** (*corr.* **γ**$^{1}$), *ps. Acro ad Hor. sat. 1, 2, 83*, *DSeru. ad Aen. 4, 137* fuscatur **crs** **467** uita **Mωγ**, *Arus. 494, 25*, *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 1, 21*, *Seru.*, *Exp.*: uitam **PRabcrsvxy**, *Macrob. 6, 2, 4 codd. plerique*, *Exp. in praef. georg.* (*p. 197, 3*) **468** at] ac **Rbo**: et **nδ**: ad **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) lectis **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$): laetis **g**, *Macrob.*, *Exp. in praef. georg.*, *agnoscunt schol. Bern.* **469** et **Mcγ**, *Asper p. 538, 14*, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 21, 9*, *Exp. in praef. georg.*: at **Pωγ**$^{1}$ (ad **Ra?**), *Macrob.*: ac **bo** **472** operis *Non. 433, 17* exiguoque **MPRbrnζ**, *Macrob.*, *Exp.*: paruoque **ωγ**, *Don. ad Ter. Andr. 75*, *Non. 433, 17*, *Seru.*, *Prisc. 18, 183* (*cf. Aen. 9, 607*) **476** percussus **MPRrγ** (*cf. Aen. 9, 197*): perculsus **M**$^{2}$**ωγ**$^{1}$; *cf. Aen. 1, 513 et 8, 121* **480** rursus (*om.* -que) **R** (*corr.* **R**$^{1}$): rursumque **bη** residunt **brζ**: resident **gi** **482** quae] tum *schol. Bern.* **483** ne] nec **a?htz**: non **gj**, *Sac. 445, 21*, *Prisc. 18, 176* (naturae non possim)

rura mihi et rigui placeant in uallibus amnes,
flumina amem siluasque inglorius. o ubi campi
Spercheosque et uirginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o qui me gelidis conuallibus Haemi
sistat et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix qui potuit rerum cognoscere causas
atque metus omnis et inexorabile fatum
subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari;
fortunatus et ille deos qui nouit agrestis,
Panaque Siluanumque senem Nymphasque sorores:
illum non populi fasces, non purpura regum
flexit et infidos agitans discordia fratres,
aut coniurato descendens Dacus ab Histro,
non res Romanae perituraque regna, neque ille
aut doluit miserans inopem aut inuidit habenti.
quos rami fructus, quos ipsa uolentia rura
sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura
insanumque forum aut populi tabularia uidit.
sollicitant alii remis freta caeca ruuntque
in ferrum, penetrant aulas et limina regum;
hic petit excidiis urbem miserosque penates,
ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;
condit opes alius defossoque incubat auro;
hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem
per cuneos geminatus enim plebisque patrumque
corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum

**MPR**

**485** rigui] rigidi **R** **486** o ubi] ubi **PR**: obi **cγ** **487** spercheosque **M**: spercheusque **M$^{A}$Pabervxyzζγ**, *schol. Bern.*: sperchiosque **R**, *ps. Probus*: sperc(h)iusque **ωγ$^{1}$** (-tiusque **fg**), *Non. 78, 24*, *Seru.*, *DSeru.*, *Prisc. 2, 46* **488** conuallibus **Mc?g?r?Λ** (conuallimus **P**): in uallibus **M$^{x}$** (*sed rursus* conuallibus **M$^{x}$**) **RΦεγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 37, 19* (*cf. u. 485*) **491** ineluctabile **R** (*cf. Aen. 8, 334*) factum **Ra** **495** non[2]] nec *Rufin. 60, 3* **497** discedens **Pb** (discendens **f**) **501** carpit *Macrob. 6, 1, 65* **502** insanumue **R** **506** sarrano **M$^{A}$Rω**, *Macrob. 6, 1, 40*, *schol. Stat. Theb. 1, 149*, *ps. Probus*, *Seru.*, *Exp.*, *schol. Bern.*: serrano **Mbdzγ**, *schol. Iuu. 10, 38* (serano *Arus. 464, 3*): saerrano **P** indormiat **M** (*corr.* **M$^{x}$**)

exilioque domos et dulcia limina mutant
atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
agricola incuruo terram dimouit aratro:
hic anni labor, hinc patriam paruosque penates
sustinet, hinc armenta boum meritosque iuuencos.
nec requies quin aut pomis exuberet annus
aut fetu pecorum aut Cerealis mergite culmi
prouentuque oneret sulcos atque horrea uincat.
uenit hiems: teritur Sicyonia baca trapetis,
glande sues laeti redeunt, dant arbuta siluae;
et uarios ponit fetus autumnus, et alte
mitis in apricis coquitur uindemia saxis.
interea dulces pendent circum oscula nati,
casta pudicitiam seruat domus, ubera uaccae
lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto
inter se aduersis luctantur cornibus haedi.
ipse dies agitat festos fususque per herbam,
ignis ubi in medio et socii cratera coronant,
te libans, Lenaee, uocat pecorisque magistris
uelocis iaculi certamina ponit in ulmo,

**MPR**

**512** quaerunt patriam **P**, *Porph. ad Hor. carm. 2, 16, 18* **513** dimouit] molitus **M** (*ex georg. 1, 494*) **514** hic **iγ**[1] (*idem coniecit Markland ad Stat. silu. 1, 2, 144*, *cl. georg. 3, 288*): hinc **MPRωγ**, *Seru.*, *schol. Bern.* penates **M**: nepotes **PRωγ**; *utrumque agnoscit DSeru. ut uid. Vtraque lectio ius tenere suum uidetur; at hic sollicita uita potentium comparatur cum agricolarum serena paupertate: illi* exilioque domos et dulcia limina mutant / atque alio patriam quaerunt sum sole iacentem (*uu. 511 sq.*), *agricola uero* patriam paruosque penates sustinet, *scilicet humilia seruat tecta sua* (*cf. ex aduerso 504* aulas et limina regum). *Similiter de Aenea rusticam Euandri domum intrante dicitur 'paruos … penates / laetus adit'* (*Aen. 8, 543*), *quo de loco editores nonnulli sunt immerito suspicati in* **M** *lectionem* penates *effluxisse* **515** hic **M** **518** atque] aut **M** (*corr.* **M**[A]) **519** sicyonia **ωγ**[1] (sycyonia **r**), *Rufin. 49, 7*, *ps. Probus*, *schol. Bern.*: sycionia **Mz**, *Seru. codd. plerique*: sicunia **P** (siconia *Exp.*): siquonia **R**: scyonia **aγ**: sicionia **efhstvδεη**, *GLK V, 572, 13* **525** lactea dimittunt **adzζ**: lacte admittunt **M** (*corr.* **M**[2]) **528** in medio] ingenio **M** (*corr.* **M**[A])

corporaque agresti nudant praedura palaestra.
hanc olim ueteres uitam coluere Sabini,
hanc Remus et frater; sic fortis Etruria creuit
scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma
septemque una sibi muro circumdedit arces.
ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante
impia quam caesis gens est epulata iuuencis,
aureus hanc uitam in terris Saturnus agebat;
necdum etiam audierant inflari classica, necdum
impositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,
et iam tempus equum fumantia soluere colla.

**MPR** **535** *inchoat* **V**

**531** nudat **befgijsvxΛ** (*om.* **c**) perdura **M** (*corr.* **M**$^{A}$) pal(a)estra **PRωγ**, *schol. Stat. Theb. 6, 830*, *Seru.*, *Exp.*, *schol. Bern.*: palestrae **M** **532** uitam ueteres **Poζη** **535** *secl. Peerlkamp, cl. Aen. 6, 783* **540** inpositis duros **M** **541** spatii *fortasse Quint. 8, 6, 45 et 9, 3, 20* **542** equo **noη** fumantia **MVωγ**, *Quint. 8, 6, 45*, *Seru.*, *Gramm.* (*cf. georg. 3, 515*; *Aen. 12, 338*): spumantia **PRbr**

# LIBER III

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
pastor ab Amphryso, uos, siluae amnesque Lycaei.
cetera, quae uacuas tenuissent carmine mentes,
omnia iam uulgata: quis aut Eurysthea durum
aut inlaudati nescit Busiridis aras?
cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos
Hippodameque umeroque Pelops insignis eburno,
acer equis? temptanda uia est, qua me quoque possim
tollere humo uictorque uirum uolitare per ora.
primus ego in patriam mecum, modo uita supersit,
Aonio rediens deducam uertice Musas;
primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas
et uiridi in campo templum de marmore ponam
propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius et tenera praetexit harundine ripas.
in medio mihi Caesar erit templumque tenebit:
illi uictor ego et Tyrio conspectus in ostro
centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.
cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi
cursibus et crudo decernet Graecia caestu.
ipse caput tonsae foliis ornatus oliuae

**FMPRV** **12** *desinit* **V** **21** *desinit* **F**

**3** carmine **F**$^{2}$**P**ζ, *DSeru*. (*«ut puto rectius*; *non enim dicit* cetera carmina iam uulgata, *sed* cetera omnia *absolute*»): carmina **FMRV**ωγ, *Seru. ad buc. 6, 41*, *schol. Bern.* **5** aras] arces **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **8** possem **P** (*euan. in* **V**) **11** diducam **V** (*corr.* **V**$^{2}$) **12** idum(a)eas **PRabcgxynoεη**, *ps. Probus*, *Seru.*, *DSeru.*: idym(a)eas **FMV**ω, *schol. Ver.*, *schol. Bern.*: idimeas **fiv**ζ: idymaes γ **14** tardis] timidis **b** **17** illic **Rr** (*periit in* **F**) et *om.* **acdr**, *Non. 418, 28*, *GLK V, 585, 9* **19** linquens] pubes **P** (*cf. georg. 1, 343*) molorci **P** **20** duro **Rj**$^{2}$; «crudo caestu *duro*» *Seru.*, *schol. Bern.*; *cf. etiam DSeru. ad Aen. 5, 69* decernet **F**$^{2}$**M**$^{2}$ (*dein* decertet *al., ut uid., man.*) ωγ, *ps. Probus*, *schol. Bern.*: decernit **FMPRf**: decertet εη

dona feram. iam nunc sollemnis ducere pompas
ad delubra iuuat caesosque uidere iuuencos,
uel scaena ut uersis discedat frontibus utque
purpurea intexti tollant aulaea Britanni.
in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam uictorisque arma Quirini
atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac nauali surgentis aere columnas;
addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
fidentemque fuga Parthum uersisque sagittis
et duo rapta manu diuerso ex hoste tropaea
bisque triumphatas utroque ab litore gentes;
stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles demissaeque ab Ioue gentis
nomina Trosque parens et Troiae Cynthius auctor.
Inuidia infelix Furias amnemque seuerum
Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis
immanemque rotam et non exsuperabile saxum.
    Interea Dryadum siluas saltusque sequamur
intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa:
te sine nil altum mens incohat. en age segnis
rumpe moras; uocat ingenti clamore Cithaeron
Taygetique canes domitrixque Epidaurus equorum,
et uox adsensu nemorum ingeminata remugit.
mox tamen ardentis accingar dicere pugnas
Caesaris et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.
    Seu quis Olympiacae miratus praemia palmae
pascit equos, seu quis fortis ad aratra iuuencos,

**MPR**

**25** tollent **Pa**: tollunt *ps. Probus* **27** faciam] uictam **P** **28** huic **P**: hinc **dghisyzoδζ** **29** ac] et **R**: hac **γ** naualis **Pb**: nauili **R** **30** nauatem **M** (nifaten **M**$^{A}$): niphantē **R** **34** lapidis **abcfikxyzε** **35** dimissaeque **ct**: dimissaque *Non. 286, 22* gentes **PRabcrz** (*corr.* **R**$^{x}$) **38** metuens **P** anguis] orbis **R** (*cf. georg. 4, 484*) **43** uacat **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **44** taugetique **P** **48** quot **M**$^{2}$**ωγ**$^{1}$, *Rufin. 50, 21*, *ps. Probus*, *Seru.*: quod **MPRbrγ** **49** palmae] pugnae *Non. 347, 22* **50** pascet **P** quis] quis et **P**

corpora praecipue matrum legat. optima toruae
forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
et crurum tenus a mento palearia pendent;
tum longo nullus lateri modus: omnia magna,
pes etiam, et camuris hirtae sub cornibus aures.
nec mihi displiceat maculis insignis et albo
aut iuga detrectans interdumque aspera cornu
et faciem tauro propior quaeque ardua tota
et gradiens ima uerrit uestigia cauda.
aetas Lucinam iustosque pati hymenaeos
desinit ante decem, post quattuor incipit annos;
cetera nec feturae habilis nec fortis aratris.
interea, superat gregibus dum laeta iuuentas,
solue mares; mitte in Venerem pecuaria primus
atque aliam ex alia generando suffice prolem.
optima quaeque dies miseris mortalibus aeui
prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus
et labor, et durae rapit inclementia mortis.
semper erunt quarum mutari corpora malis:
semper enim refice ac, ne post amissa requiras,
ante ueni et subolem armento sortire quotannis.
    Nec non et pecori est idem dilectus equino.
tu modo, quos in spem statues summittere gentis,
praecipuum iam inde a teneris impende laborem.
continuo pecoris generosi pullus in aruis
altius ingreditur et mollia crura reponit;

**MPR**

**54** tunc *Non. 339, 2* **55** sub] cum **M** (*corr.* $\mathbf{M^A}$) **56** mihi] tibi **M** (*corr.* $\mathbf{M^A}$) «maculis … et albo *diuise pro* '*albis maculis*'» *DSeru.* (*cf. georg. 2, 192* '*pateris libamus et auro*') **57** detrectans **Mωγ**: detractans **PRdfgrvoεη** **58** proprior **M**: prior **R**: proprio **γ** (*corr.* $\mathbf{R^2\gamma^1}$) **60** aestas **M** (*corr.* $\mathbf{M^x}$) **61** desinet **oδε** **62** aratri **M** (*corr.* $\mathbf{M^A}$) **63** praeterea *Non. 389, 2* (*sed* interea *433, 22*) superest *Prisc. 18, 289* cum *Non. 389, 2 et 433, 22* iuuentas $\mathbf{M^A}$**RΦγ**, *Non. 433, 22*, *schol. Bern.*: iuuentis **P**: iuuentus **MghΛ**, *Non. 389, 2*, *Prisc.* **65** alia] aliis **P** **69** mauis **Mnoδ**: mallis **R**: uelis $\mathbf{a^2}$ **72** delectus **cdknoδη** **73** statuis **ω** (*praeter* **brtoεη**), *Non. 390, 9*

primus et ire uiam et fluuios temptare minacis
audet et ignoto sese committere ponti,
nec uanos horret strepitus. illi ardua ceruix
argutumque caput, breuis aluus obesaque terga,
luxuriatque toris animosum pectus. honesti
spadices glaucique, color deterrimus albis
et giluo. tum, si qua sonum procul arma dedere,
stare loco nescit, micat auribus et tremit artus
collectumque fremens uoluit sub naribus ignem.
densa iuba, et dextro iactata recumbit in armo;
at duplex agitur per lumbos spina, cauatque
tellurem et solido grauiter sonat ungula cornu.
talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus et, quorum Grai meminere poetae,
Martis equi biiuges et magni currus Achilli;
talis et ipse iubam ceruice effundit equina
coniugis aduentu pernix Saturnus et altum
Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo grauis aut iam segnior annis

**MPR**

**77** minacis **MRωγ**: minantis **P**, *Sen. ep. 95, 68*; *utrumque schol. Bern.* **78** ponti **M**$^{x}$**PRabdksoδε**, *codd. Sen.*: ponto **Mωγ**, *schol. Bern.*; *utrumque codd. DSeru.* **83** et] e *fortasse «multi» ap. Seru.* («*multi ita legunt* albis e [*sic Georgii, «Philol.» Suppl. 9, 1902, 294, sed* et *codd.*] giluo, *ut non album uel giluum*, *sed albogiluum uituperet*»), *Heyne*: at *Phillimore* («*RPh*» *43, 1912, 63–65*) **84** tremet **efghijx**: tremat **r** **85** fremens **Ma**$^{2}$**erΛ** (*cf. Lucr. 5, 1076* '*et fremitum patulis sub naribus edit ad arma*'): pr(a)emens **RΦoεγ** (primens **P**), *Sen. ep. 95, 68* **87** ad **Mc** (*corr.* **M**$^{x}$): et **bζ**: aut **r?ε** **88** sonat] quatit **R** (*cf. Aen. 8, 596*) cornu] pulsu **a**$^{2}$, *schol. Bern.* (*cf. Aen. 12, 533*) **91** achilli **bgijrvxoηγ** (-lei **P**): achilles **M**: achillis **M**$^{P}$**Rωγ**$^{1}$, *ps. Probus*, *Seru.* **92** effudit **ω** (*praeter* **adfhixyζ**) **γ**$^{1}$: fundit **c**; *praesens tempus cum praeterito coniungitur etiam in georg. 3, 517–519*; *1, 34–35* equinam **d** **95** hinc **M** annis] aetas **R**

96 deficit, abde domo nec turpi ignosce senectae,
120 quamuis saepe fuga uersos ille egerit hostis
121 et patriam Epirum referat fortisque Mycenas
122 Neptunique ipsa deducat origine gentem.
97 frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
ingratum trahit et, si quando ad proelia uentum est,
ut quondam in stipulis magnus sine uiribus ignis,
incassum furit. ergo animos aeuumque notabis
praecipue; hinc alias artes prolemque parentum,
et quis cuique dolor uicto, quae gloria palmae.
nonne uides, cum praecipiti certamine campum
corripuere ruuntque effusi carcere currus,
cum spes arrectae iuuenum, exsultantiaque haurit
corda pauor pulsans? illi instant uerbere torto
et proni dant lora, uolat ui feruidus axis;
iamque humiles iamque elati sublime uidentur
aëra per uacuum ferri atque adsurgere in auras.
nec mora nec requies; at fuluae nimbus harenae
tollitur, umescunt spumis flatuque sequentum:
tantus amor laudum, tantae est uictoria curae.
primus Ericthonius currus et quattuor ausus
iungere equos rapidusque rotis insistere uictor;
frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere

**MPR**

**96** *post hunc uersum uu. 120–122 a Bentley et Ribbeck translati sunt quia cum uersibus 118–119 male coniuncti uidebantur, praesertim si* ille (*u. 120*) *equum seniorem indicat, de quo nimio ante mentio facta est* (*u. 95* iam segnior annis). *Hoc ordine uersuum restituto, flumen orationis uidebis in concessiuam sententiam effundi expedite: poeta enim magistros dehortatur ne equis olim praestantissimis, nunc tamen senio confectis, nimiam indulgentiam praestent* **121** fortisque] clarasque *schol. Bern. u. l.* (*cf. Aen. 1, 284*) **122** gentem] nomen **R** (*cf. Aen. 10, 618*) **99** in *om.* **Mγ** (*add.* **M**$^{A}$), *schol. Iuu. 6, 366* stipula **R** **101** artes] partis **P** **106** toto **P** **107** uocat **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **109** uacuum] tenerum *Macrob. 5, 13, 7* (*cf. Aen. 9, 699*) exsurgere **Roηγ**: insurgere **a**$^{2}$ aures **R** **110** at **M**$^{x}$**ωγ**$^{1}$: ad **MPRb?γ**: aut **afn** **112** tantae est **Rkrxζη** (tante est **γ**), *Lact. diu. inst. 3, 8, 27*: tanta est **MPcetvynoε**: tantae **abdfghjsz**: tanta **iδ** (tantae est *et* tanta est *codd. Seru. ad u. 102 et ad georg. 2, 205*)

impositi dorso atque equitem docuere sub armis
insultare solo et gressus glomerare superbos.
aequus uterque labor, aeque iuuenemque magistri
119 exquirunt calidumque animis et cursibus acrem.
123 His animaduersis instant sub tempus et omnis
impendunt curas denso distendere pingui,
quem legere ducem et pecori dixere maritum,
florentisque secant herbas fluuiosque ministrant
farraque, ne blando nequeat superesse labori
inualidique patrum referant ieiunia nati.
ipsa autem macie tenuant armenta uolentes
atque, ubi concubitus primos iam nota uoluptas
sollicitat, frondesque negant et fontibus arcent;
saepe etiam cursu quatiunt et sole fatigant,
cum grauiter tunsis gemit area frugibus, et cum
surgentem ad Zephyrum paleae iactantur inanes.
hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus
sit genitali aruo et sulcos oblimet inertis,
sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere et succedere matrum
incipit. exactis grauidae cum mensibus errant,
non illas grauibus quisquam iuga ducere plaustris,
non saltu superare uiam sit passus et acri
carpere prata fuga fluuiosque innare rapacis.
saltibus in uacuis pascunt et plena secundum

**MPR**

**118** aequus] durus *DSeru.* (*cf. georg. 2, 412*) iuuenumque **R**γ (*corr.* γ$^1$): iuuentumque **P** **123** animaduersis **R**$^1$ (animadsis **R**) ωγ$^1$, *Seru.*, *schol. Bern.*: animaaduersis **M**: animum aduersis **P**: animum aduersus γ **125** ducem] uirum *Seru. ad buc. 7, 7* pecoris … magistrum **P** **126** florentisque] pubentesque **y**, *Seru.* (*sed* florentesque *ad u. 131*); *cf. Aen. 4, 514* **127** nequeat **M**$^A$**Raky**Λ (nequead γ), *Gell. 1, 22, 13*: nequeant **P**Φδζ (nequeans **M**) **130** primos innata *uel* primos ignota *Schrader*; *at bene DSeru.* («primos *poetice pro* ‘*primum*’»; *cf. Aen. 4, 118 sq.* ‘*ubi primos crastinus ortus / extulerit Titan*’) uoluntas **P** **131** sollicitant **Ra**$^2$, *schol. Bern.* **141** non] nec *DSeru. ad u. 143* saltu ωγ, *Seru.*: saltus **MPRr**, *DSeru. ad u. 143*: saltum **h** agri **Raetv**γ (*corr.* γ$^1$) **143** pascant **M**$^P$ω (*praeter* **abcdfrtvn**), *DSeru.*

flumina, muscus ubi et uiridissima gramine ripa,
speluncaeque tegant et saxea procubet umbra.
est lucos Silari circa ilicibusque uirentem
plurimus Alburnum uolitans, cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Grai uertere uocantes,
asper, acerba sonans, quo tota exterrita siluis
diffugiunt armenta: furit mugitibus aether
concussus siluaeque et sicci ripa Tanagri.
hoc quondam monstro horribilis exercuit iras
Inachiae Iuno pestem meditata iuuencae.
hunc quoque (nam mediis feruoribus acrior instat)
arcebis grauido pecori armentaque pasces
sole recens orto aut noctem ducentibus astris.
    Post partum cura in uitulos traducitur omnis,
continuoque notas et nomina gentis inurunt,
si quos aut pecori malint summittere habendo
aut aris seruare sacros aut scindere terram
et campum horrentem fractis inuertere glaebis.
cetera pascuntur uiridis armenta per herbas:

**MPR** **146** *inchoat* **F**

**144** gramina **Mhnoε** ripae **Mn** (*corr.* **M**$^{x}$) **145–170** *ante u. 123 transpositi sunt in* **γ** **145** procubet] protegit **M**: protegat **M**$^{1}$**o**$^{2}$**ζ** (*corr.* **M**$^{A}$): procumbet **cγ** (*corr.* **γ**$^{1}$); *cf. georg. 2, 489* **146** lucos **Mωγ**$^{1}$ (locos **γ**), *ps. Probus*, *Seru.*, *schol. Bern.*: lucus **FM**$^{2}$**Rabcfg**: luco **P**: lucum *Sen ep. 58, 2* circa] iuxta *Sen.* **150** fugit **Fζγ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **155** pecoris **Pt** pascis **F** **159** si quos *scripsi, cl. buc. 5, 10 sq.* '*incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes / aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri*': et quos *codd.*, *at copula* et *non habet cui bene iungatur*. Si quos aut … malint … aut … aut *ita interpretandum esse puto:* '*rituli notis inuruntur omnes siue ad procreationem siue ad sacrificia siue ad agros arandos destinentur*' **160** sacros] sacris **cgyζ** **162** *u. secl. Ribbeck ut ineptum additamentum cum antecedenti enumeratione cohaerens, quasi hic uersus post uitulos rite inurendos alia designaret armenta quae inurenda non essent. In eundem errorem iam Seruius delapsus erat*: «cetera: *quae non inuruntur*». *At ex* cetera *initium capit sententia noua quae cum sequentibus uersibus est coniuncta, ut bene uidit Martyn. Sensus est:* '*cum libere cetera armenta pascantur, tu uitulos selige quos ad agreste seruitium formare uelis eosque statim rusticis laboribus subige*'. *Hic* cetera *idem ualet quod Graece* ἄλλα μέν, *cui opponitur* (δέ) *imperatiuus modus* tu … hortare … insiste; *eandem uerborum constructionem* (μέν … δέ) *habes in Aen. 6, 847–851*

tu, quos ad studium atque usum formabis agrestem,
iam uitulos hortare uiamque insiste domandi,
dum faciles animi iuuenum, dum mobilis aetas.
ac primum laxos tenui de uimine circlos
ceruici subnecte; dehinc, ubi libera colla
seruitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
iunge pares et coge gradum conferre iuuencos;
atque illis iam saepe rotae ducantur inanes
per terram et summo uestigia puluere signent;
post ualido nitens sub pondere faginus axis
instrepat, et iunctos temo trahat aereus orbis.
interea pubi indomitae non gramina tantum
nec uescas salicum frondes uluamque palustrem,
sed frumenta manu carpes sata; nec tibi fetae
more patrum niuea implebunt mulctraria uaccae,
sed tota in dulcis consument ubera natos.
    Sin ad bella magis studium turmasque ferocis,
aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae
et Iouis in luco currus agitare uolantis,
primus equi labor est animos atque arma uidere
bellantum lituosque pati tractuque gementem
ferre rotam et stabulo frenos audire sonantis;
tum magis atque magis blandis gaudere magistri

**FMPR** **181** *inchoat* **A**

'*excudent alii ..., tu ..., Romane, memento*' pascuntur *codd.*, *Seru.*: pascantur **t**, *recc.*, *fortasse recte si hortatiuum iudicas*: *nam uerba quae sequuntur* (*uu. 163–178*) *praeceptiua sunt omnia* (hortare, insiste, ducantur, signent, carpes, consument)

**163** studia **F** (*ex* studiu) **Rζγ¹** **165** «*potest ... et sic legi* iuuenum dum mobilis aetas» *DSeru.* **166** circlos **F²Mˣ** (criclos **M**) **Rωγ**, *Non. 340, 13*, *Seru.*, *schol. Bern.*: circos **FPγ¹** **167** ceruice **FM** (*corr.* **F²Mˣ**): ceruicis **c?** **168** ipsis de **b** **170** ducuntur **afjtζ**: dicantur **g** **171** signant **cfitzζ** **173** increpat *Non. 353, 7* **175** uluamque] uluasque **F** (*corr.* **F²**): siluamque **R**: uibulamque **n** **176** nec] sed **R** **177** mulctraria **F²M²PRωγ¹**, *Seru. ad buc. 3, 30*: multraria **Fnεγ**: mulctaria **Mr**: mulgaria *Non 312, 13*, *agnoscit DSeru.* **178** set **M**: et **F** consumant **Mc²r** (*corr.* **M²**, *sed rursus* consumant *ead. uel al. man.*) **181** uolentis **F** (*euan. in* **A**) **182** equis **Mb** (*corr.* **Mˣ**) **184** stabulis *Non. 206, 12*

laudibus et plausae sonitum ceruicis amare.
atque haec iam primo depulsus ab ubere matris
audeat inque uicem det mollibus ora capistris
inualidus etiamque tremens, etiam inscius aeui.
at tribus exactis ubi quarta accesserit aestas,
carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
compositis sinuetque alterna uolumina crurum,
sitque laboranti similis; tum cursibus auras,
tum uocet ac per aperta uolans ceu liber habenis
aequora uix summa uestigia ponat harena.
qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
incubuit Scythiaeque hiemes atque arida differt
nubila (tum segetes altae campique natantes
lenibus horrescunt flabris, summaeque sonorem
dant siluae, longique urgent ad litora fluctus),
ille uolat simul arua fuga, simul aequora uerrens.
hinc uel ad Elei metas et maxima campi
sudabit spatia et spumas aget ore cruentas,
Belgica uel molli melius feret esseda collo.
tum demum crassa magnum farragine corpus
crescere iam domitis sinito: namque ante domandum
ingentis tollent animos prensique negabunt
uerbera lenta pati et duris parere lupatis.
    Sed non ulla magis uires industria firmat

**AFMPR**

**187** «*non* primo ubere, *sed* iam primo *quasi unum lege*» *DSeru.* **188** audiat **F** (*corr.* **F**$^2$) **M**$^A$**Rbcgrtζγ**$^1$ **189** etiam] atque **M** **190** accesserit **AMF**$^2$**ωγ**: acceperit **M**$^2$ (*corr. dein erasa*) **PRa**$^2$ (occeperit **F**), *Non. 291, 23*; *utrumque agnoscunt schol. Bern.* (*cf. buc. 8, 39*) aestas **AFPRabdefrtvγ**, *Non.*: aetas **F**$^2$**Mω**, *Seru.* **194** tum uocet] prouocet **PtΛ**, *agnoscunt schol. Bern.*: tum uocat **k** **195** ponit **A**: ponet **aev**: signat *Seru. ad Aen. 5, 317* **197** deffert **F** (*corr.* **F**$^2$): defert **cγ** (*corr.* **γ**$^1$) **198** tum] dum **Φ** (*praeter* **abkrt**) **δ** **200** longeque **ghkvxy** (logeque **e**) **201** uolans *Seru. ad Aen. 4, 400* (*sed* uolat *hic*): furens *Probus 248, 6* uerrit *Seru. ad georg. 1, 286*, *ad Aen. 4, 72 et 400* (*sed* uerrens *hic*) **202** hinc **FM**$^A$**Radegkvxyδηγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 1, 3 et 4, 2, 13*: hic **AMPωγ**$^1$, *ps. Probus*, *schol. Bern.* **203** aget **AFM**$^2$**Rωγ**, *Seru.*, *schol. Bern.*: agit **F**$^2$**MP** **204** bellica **MPb?h?oη** (*corr.* **M**$^A$) ferat **A**: ferret **fγ** (*corr.* **γ**$^1$)

quam Venerem et caeci stimulos auertere amoris,
siue boum siue est cui gratior usus equorum.
atque ideo tauros procul atque in sola relegant
pascua post montem oppositum et trans flumina lata
aut intus clausos satura ad praesepia seruant.
carpit enim uires paulatim uritque uidendo
femina nec nemorum patitur meminisse nec herbae
dulcibus illa quidem inlecebris, et saepe superbos
cornibus inter se subigit decernere amantis.
    Pascitur in magna Sila formosa iuuenca;
illi alternantes multa ui proelia miscent
uulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis,
uersaque in obnixos urgentur cornua uasto
cum gemitu: reboant siluaeque et longus Olympus.
nec mos bellantis una stabulare, sed alter
uictus abit longeque ignotis exulat oris,
multa gemens ignominiam plagasque superbi
uictoris, tum quos amisit inultus amores,
et stabula aspectans regnis excessit auitis.
ergo omni cura uiris exercet et inter
dura iacet pernox instrato saxa cubili,
frondibus hirsutis et carice pastus acuta,
et temptat sese atque irasci in cornua discit

**AFMPR** **214** *desinit* **F** **220** *desinit* **A**

**211** cui] quo **F** (quoi **F**$^{2}$) **212** religant **FR** (*corr.* **F**$^{2}$) **216** nec$^{2}$ **MRωγ**$^{1}$ (*om.* **γ**), *DSeru. ad u. 498, Prisc. 8, 49*: neque **APa**$^{2}$**bζ** **219** sila **M**$^{x}$, *Asper p. 538, 16*, «*alii*» *ap. Seru.* (*cf. Aen. 12, 715*): silua **AMPRωγ**, *Arus. 497, 28*, *Seru.*, *schol. Bern.* **221** lauat **M**$^{P}$**bghr** corpore **P**: uulnera *Non. 337, 18*; *466, 21* **223** resonant **M** longus **M**$^{x}$ (longius **M**), *Macrob. 6, 4, 21*: magnus **PRωγ**, *Non. 79, 8*, *Gramm.* (*cf. Aen. 10, 437*) **225** abiit **R** **230** pernox **b?**, *schol. Iuu. 8, 10*: pernix **MPRωγ**, *Non. 368, 21 et 444, 12*, *Seru. hic* («pernix *modo perseuerans*») *et ad Aen. 11, 718*, *schol. Bern.*; *utrumque agnoscit DSeru.*, *qui* pernix *mauult. Alucinantur grammatici qui, deriuatione ab opinabili uerbo 'pernitor' excogitata,* pernix *explanant tamquam 'perseuerans'*; *reuera nulla alia uis in hoc uocabulo inest nisi quae ad agilitatem uel celeritatem pertinet*: *idcirco cum* iacet *uidetur dissidere*. Pernox, *quasi 'uigilans' totam per noctem iratus, idem est ac* παννύχιος *in Graecis herois* (*ita taurus uidetur fere similis animoso bellatori a poeta factus esse*)

arboris obnixus trunco uentosque lacessit
ictibus et sparsa ad pugnam proludit harena.
post ubi collectum robur uiresque refectae,
signa mouet praecepsque oblitum fertur in hostem:
fluctus uti medio coepit cum albescere ponto,
longius ex altoque sinum trahit, utque uolutus
ad terras immane sonat per saxa neque ipso
monte minor procumbit, at ima exaestuat unda
uerticibus nigramque alte subiectat harenam.
    Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque
et genus aequoreum, pecudes pictaeque uolucres,
in furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
tempore non alio catulorum oblita leaena
saeuior errauit campis, nec funera uulgo
tam multa informes ursi stragemque dedere
per siluas; tum saeuus aper, tum pessima tigris;
heu male tum Libyae solis erratur in agris.
nonne uides ut tota tremor pertemptet equorum
corpora, si tantum notas odor attulit auras?
ac neque eos iam frena uirum neque uerbera saeua,
non scopuli rupesque cauae atque obiecta retardant
flumina correptosque unda torquentia montis.
ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus
et pede prosubigit terram, fricat arbore costas
atque hinc atque illinc umeros ad uulnera durat.
quid iuuenis, magnum cui uersat in ossibus ignem

**MPR**

**234** et] aut **R** (*cf. Aen. 12, 106*) **235** post] ast **M** (*cf. Aen. 3, 410*) refectae **MPb?nδηγ**, *DSeru.*: receptae **Rωγ**$^{1}$ **236** oblicum **Mb?** **237** uti **M**$^{2}$ (*ut uid.*) **PRωγ**$^{1}$ (ubi **γ**): ut in **Mdfg**$^{2}$ (utim **g**) **zn**, *Seru.*, *schol. Bern.*: uti in **bη** medio] primo **M**$^{2}$ (*cf. Aen. 7, 528*) **241** subiectat **Pωγ** (*cf. Lucr. 6, 700*): subuectat **MRn**$^{2}$, *schol. Bern.* **242** ferarum (*om.* -que) **iγ** **248** siluam **Φ** (*praeter* **bgjrt**) **ζ** tum$^{1}$] tunc *Seru. ad u. 255* tum$^{2}$] tunc **R** **249** agris] aruis **Φ** (*praeter* **br**) **δ** **250–254** *hos uu. secundis curis additos et ante u. 266 transponendos censuit Ribbeck; uu. 250–265 secundis curis additos censuit Sabbadini* **250** ut] et **P** **255** suus **MP** (*corr.* **M**$^{x}$): usus **R** **257** umeros **Mgrδεζηγ**, *Prisc. 8, 30*: umerosque **PRωγ**$^{1}$ in uolnere **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **258** uersat] seruat **j**

durus amor? nempe abruptis turbata procellis
nocte natat caeca serus freta, quem super ingens
porta tonat caeli, et scopulis inlisa reclamant
aequora; nec miseri possunt reuocare parentes,
nec moritura super crudeli funere uirgo.
quid lynces Bacchi uariae et genus acre luporum
atque canum? quid quae imbelles dant proelia cerui?
scilicet ante omnis furor est insignis equarum;
et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigae.
illas ducit amor trans Gargara transque sonantem
Ascanium: superant montis et flumina tranant;
continuoque, auidis ubi subdita flamma medullis
(uere magis, quia uere calor redit ossibus), illae
ore omnes uersae in Zephyrum stant rupibus altis
exceptantque leuis auras et saepe sine ullis
coniugiis uento grauidae (mirabile dictu)
saxa per et scopulos et depressas conuallis
diffugiunt, non, Eure, tuos neque solis ad ortus,
in Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
nascitur et pluuio contristat frigore caelum.
hic demum, hippomanes uero quod nomine dicunt
pastores, lentum destillat ab inguine uirus,
hippomanes, quod saepe malae legere nouercae
miscueruntque herbas et non innoxia uerba.
    Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,

**MPR**

**261** *hunc u. bis scripsit* **M**, *priore loco del.* **M^A^** **263** *secl. Ribbeck, cl. Aen. 4, 308* supra **P**, *agnoscunt schol. Bern.* **265** quid quae] quidque **cghrtvnζ** (quidue **η**) **272** redit calor **R** illis **R**: ille **crnεγ** **273** in **Pωγ**, *Seru.*, *DSeru.* («in *pro* ‘*contra*’»): *om.* **M**: ad **M^A^R**, *Colum. 6, 27, 6* **274** exceptantque **M^A^Rωγ^1^**, *Colum.*, *Seru.*, *DSeru.*, *schol. Bern.*: ex(s)pectantque **MPbrnγ** **278** borean **Mej** (borehan **P**): boream **Rω**, *schol. Bern.*: borea **c** caurumque **bfiry**: chaurumque **M^A^** (charumque **M**) **Rωγ**, *Seru.*, *schol. Bern.*: chorumque **ε** **279** frigore] sidere **R**, *agnoscunt schol. Bern.* **280** hic demum hippomanes quod saepe malae leger(e nouercae) *ad u. 282 aberrans* **M**, *qui deinde u. expunxit et iterum scripsit* hic] hinc **b?egkvxyεζ**, *Seru.*, *DSeru.*: huc **z** **283** miscuerantque **cd**

singula dum capti circumuectamur amore.
hoc satis armentis; superat pars altera curae,
lanigeros agitare greges hirtasque capellas:
hic labor, hinc laudem fortes sperate coloni.
nec sum animi dubius, uerbis ea uincere magnum
quam sit et angustis hunc addere rebus honorem;
sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
raptat amor; iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Castaliam molli deuertitur orbita cliuo.
nunc, ueneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
carpere ouis, dum mox frondosa reducitur aestas,
et multa duram stipula felicumque maniplis
sternere subter humum, glacies ne frigida laedat
molle pecus scabiemque ferat turpisque podagras.
post hinc digressus iubeo frondentia capris
arbuta sufficere et fluuios praebere recentis
et stabula a uentis hiberno opponere soli
ad medium conuersa diem, cum frigidus olim
iam cadit extremoque inrorat Aquarius anno.
hae quoque non cura nobis leuiore tuendae,
nec minor usus erit, quamuis Milesia magno
uellera mutentur Tyrios incocta rubores;
densior hinc suboles, hinc largi copia lactis:
quam magis exhausto spumauerit ubere mulctra,
laeta magis pressis manabunt flumina mammis.

**MPR** **285** *inchoat* **F**

**286** superat est **M** (est *del.* **M**$^{x}$); «superat *pro* ‘*superest*’» *DSeru.* **288** hic] hinc **Φ** (*praeter* **birt**), *Seru.*, *schol. Bern.* **289** ea uincere] euincere **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **295** tabulis **Mγ** (*corr.* **M**$^{x}$) **297** duram **F**$^{c}$**Mωγ**, *Non. 389, 14*, *Seru. ad buc. 1, 15*: dura **F** (dura in **F**$^{2}$): durum **PR** felicumque **FMPRfgjn**, *Non. 389, 18*: filicumque **ωγ**, *Seru. ad buc. 1, 15*; *cf. georg. 2, 189* **300** digrediens *Seru. ad Aen. 8, 546* **305** hae **Padznoηγ**: haec **FMRωγ**$^{1}$, *Seru.*; *utrumque agnoscit DSeru.* leuiora **bcr** tuendae **FPRadfjktzoζηγ**: tuenda **Mω** **307** rubores] colores **R** **308** hinc$^{2}$] hic **F** (*corr.* **F**$^{2}$) largi] pressi **ioη** **309** quam] quo **Rr**, *agnoscunt schol. Bern.* spumauerat **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) ubera **MRcrγ** (*corr.* **M**$^{x}$**γ**$^{1}$) **310** flumina **FMωγ**: ubera **PRb?cd?f?jrtoεη**, *Non. 341, 3*; *utrumque agnoscit DSeru.* mammis] palmis **oζη**

nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci saetasque comantis
usum in castrorum et miseris uelamina nautis.
pascuntur uero siluas et summa Lycaei
horrentisque rubos et amantis ardua dumos;
atque ipsae memores redeunt in tecta suosque
ducunt et grauido superant uix ubere limen.
ergo omni studio glaciem uentosque niualis,
quo minor est illis curae mortalis egestas,
auertes uictumque feres et uirgea laetus
pabula nec tota claudes faenilia bruma.
At uero Zephyris cum laeta uocantibus aestas
in saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sidere frigida rura
carpamus, dum mane nouum, dum gramina canent
et ros in tenera pecori gratissimus herba.
inde ubi quarta sitim caeli collegerit hora
et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
ad puteos aut alta greges ad stagna iubebo
currentem ilignis potare canalibus undam;
aestibus at mediis umbrosam exquirere uallem,

**FMPR**

**312** cinyphi **Mγ** (*corr.* **M**$^{x}$): cinyphei **chjrzε** hirci **F**$^{2}$**Mωγ**$^{1}$ (hircis **R**), *ps. Probus*, *Seru.*, *DSeru.*, *Prisc. 8, 23*, *schol. Bern.*: hirqui **PFγ** (*cf. Velius 59, 19 «antiqui 'hirquos' dicebant»*) **314** siluae **P** **315** *hunc u. post 316 scripsit* **M** (*ord. rest.* **M**$^{A}$) **316** inmemores **M** (*corr.* **M**$^{x}$) **319** *hunc u. ita explanandum puto*: '*quoniam de ualetudinis suae imbecillitate non sunt ipsae sollicitae, uigila ne frigore laedantur*'. *Male quidam* curae *cum* mortalis *iungunt* (*id est* '*mortalium*'), *sed cum Seruio consentiendum est* («'*egestas mortalis*' *id est necessitas mortalitatis*») quod **M** (*corr.* **M**$^{x}$) **320** auertas **g** **323** mittet **M**: mittes **FM**$^{2}$ (*corr. dein erasa?*) **PRωγ**, *Seru.* («aestas, *subaudis aduenerit*»): mittis *Non. 348, 16* **324** lucifero **Fiγ** (*corr.* **F**$^{2}$**γ**$^{1}$) **325** canent] manent **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$): canant **r**: canunt **e**: uirent **ε**: crescunt *Don. ad Ter. Adelph. 591* **328** *om. Colum. 7, 3, 23* (*ubi uu. 324–329 laudantur*) **329** ad$^{1}$] at **FPcgy**: aut **br** aut] adque **R** iubebo **FPa**$^{2}$**fr**: iubeto **F**$^{2}$**MRωγ**, *Non. 216, 37*; *utrumque agnoscunt schol. Bern.* **330** ilignis **FM**$^{2}$**ωγ**, *schol. Bemb. ad Ter. Adelph. 585*, *Non.*, *Seru.*, *schol. Bern.*: ignis **M**: elignis **Po**: lignis **Rh**: ligneis **ε** portare **b?tvxzγ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **331** at **F**$^{2}$**Mω**: ac **fghj**: ad **Ratvγ**: aut **FPbrε**: in **ζ**, *Non. 247, 11*

sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
ingentis tendat ramos, aut sicubi nigrum
ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra;
tum tenuis dare rursus aquas et pascere rursus
solis ad occasum, cum frigidus aëra Vesper
temperat, et saltus reficit iam roscida luna,
litoraque alcyonen resonant, acalanthida dumi.
    Quid tibi pastores Libyae, quid pascua uersu
prosequar et raris habitata mapalia tectis?
saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem
pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
hospitiis: tantum campi iacet. omnia secum
armentarius Afer agit, tectumque laremque
armaque Amyclaeumque canem Cressamque pharetram;
non secus ac patriis acer Romanus in armis
iniusto sub fasce uiam cum carpit, et hosti
ante exspectatum positis stat in agmine castris.
at non qua Scythiae gentes Maeotiaque unda,
turbidus et torquens flauentis Hister harenas,
quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullae
aut herbae campo apparent aut arbore frondes;
sed iacet aggeribus niueis informis et alto
terra gelu late septemque adsurgit in ulnas.
semper hiems, semper spirantes frigora Cauri;

**FMPR** **348** *desinit* **F** **351** *inchoat* **V**

**333–334** tendit … accubat *Colum. 7, 3, 23* **333** renigrum **M** (*corr.* **M**$^{x}$): nigram **cfj**: nigra **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **334** crebris] gressus **M** (*corr.* **M**$^{A}$, *renouauit* **M**$^{P}$) sacra] sacrum **γ**: atra *Colum. 7, 3, 23* **335** tunc **R** **336** aera] aethera *Non. 231, 31* **338** alcyonen **FRωγ**, *ps. Probus*: alcyonem **Mfhijtvz**, *schol. Bern.* (alcyone **P**) **342** longe **noδ** in] et **P** **344** laremque] laboremque **R** **345** gressamque **FM** (*corr.* **M**$^{x}$): crassamque **c**, *agnoscunt schol. Bern.* crassasque pharetras *Seru. ad buc. 3, 12* **346** non] haud *Quint. 9, 3, 20* **347** inuito **F** cum] dum *Non. 312, 22*, *Seru. ad buc. 9, 65 et ad georg. 4, 204* hosti **FM**$^{2}$**Rωγ**$^{1}$, *Vegetius 1, 19*, *DSeru.* («*figurate pro* ‘*contra hostem*’»): hostem **Ma**$^{2}$**cdefgrvzoη** (hostim *uel* ostim **aky**): hostis **Pγ** **348** spectatum **bγ** in *om.* **R** agmina **P** **351** axe **nγ** **352** nec **R** **356** cauri **c**: chauri **MRωγ**, *schol. Bern.* (hauri *Tib. ad Aen. 5, 2*): chori **PVbε** (*cf. u. 278*)

tum Sol pallentis haud umquam discutit umbras,
nec cum inuectus equis altum petit aethera, nec cum
praecipitem Oceani rubro lauit aequore currum.
concrescunt subitae currenti in flumine crustae,
undaque iam tergo ferratos sustinet orbes,
puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris;
aeraque dissiliunt uulgo, uestesque rigescunt
indutae, caeduntque securibus umida uina,
et totae solidam in glaciem uertere lacunae,
stiriaque impexis induruit horrida barbis.
interea toto non setius aëre ningit:
intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
corpora magna boum, confertoque agmine cerui
torpent mole noua et summis uix cornibus exstant.
hos non immissis canibus, non cassibus ullis
puniceaeue agitant pauidos formidine pinnae,
sed frustra oppositum trudentis pectore montem
comminus obtruncant ferro grauiterque rudentis
caedunt et magno laeti clamore reportant.
ipsi in defossis specubus secura sub alta
otia agunt terra, congestaque robora totasque
aduoluere focis ulmos ignique dedere;
hic noctem ludo ducunt et pocula laeti
fermento atque acidis imitantur uitea sorbis.
talis Hyperboreo Septem subiecta trioni
gens effrena uirum Riphaeo tunditur Euro
et pecudum fuluis uelatur corpora saetis.
    Si tibi lanitium curae, primum aspera silua

**MPRV**

**357** tunc **P** **358** cum$^{2}$] dum **adfivz**: tum **c** **359** in rubro **go** lauat **M**$^{P}$**hn** **364** ceduntque **cerv** **365** in solidam **R**γ lucunae **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **366** *om.* **R** **367** aequore *Prisc. 10, 11* **369** confectoque **RVb?** **372** puniceaeque **V**ζ **373** sed] set **M**: et **R** **374** pariterque **no**δ ruentes **V**γ (*corr.* γ$^{1}$) **376** specubus **M**$^{x}$**V**ωγ$^{1}$, *Pomp. 195, 11*, *Seru. hic et ad Aen. 7, 568*, *schol. Bern.*: specibus **MP**γ (speciebus **R**) **377** totasque] que *del.* **M**$^{P}$, *om.* **bcfghjkxy**γ **381–386** *fere omnino euan. in* **V** **383** uelatur **PR**γ, *Rufin. 57, 21*: uelantur **M**ωγ$^{1}$ (*euan. in* **V**): uestitur **a**$^{2}$, *schol. Bern.* pectora *Rufin.*

lappaeque tribolique absint; fuge pabula laeta;
continuoque greges uillis lege mollibus albos.
illum autem, quamuis aries sit candidus ipse,
nigra subest udo tantum cui lingua palato,
reice, ne maculis infuscet uellera pullis
nascentum, plenoque alium circumspice campo.
munere sic niueo lanae, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit
in nemora alta uocans; nec tu aspernata uocantem.
    At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentis
ipse manu salsasque ferat praesepibus herbas:
hinc et amant fluuios magis et magis ubera tendunt
et salis occultum referunt in lacte saporem.
multi etiam excretos prohibent a matribus haedos
primaque ferratis praefigunt ora capistris.
quod surgente die mulsere horisque diurnis,
nocte premunt; quod iam tenebris et sole cadente,
sub lucem exportant calathis (adit oppida pastor)
aut parco sale contingunt hiemique reponunt.
    Nec tibi cura canum fuerit postrema, sed una
uelocis Spartae catulos acremque Molossum
pasce sero pingui. numquam custodibus illis
nocturnum stabulis furem incursusque luporum
aut impacatos a tergo horrebis Hiberos.

**MPRV** 402 *desinit* **V**

**390** nascentum] nascuntur **M** (*corr.* **M**$^{A}$): nascentem **fh** **395** ipse **Mγ** (ipsese **V**): ille **PRω**, *schol. Bern.* **396** et magis] ac magis **Φ** (*praeter* **bv**) **δη**: *om.* **r** **398** etiam **Paboεη**: iam **MRωγ** (*euan. in* **V**) excretos] extremos **P** **401** quo **V** cedentem **M**: cadentem **M**$^{2}$**γ** (*corr.* **γ**$^{1}$): cadentes **R** **402** exportant *codd.*, *Seru. ad buc. 3, 5 et ad georg. 1, 67*, *Gramm.*: exportans *Scaliger ad Catull. 61, 219, cui multi fauerunt*; *de scholiis Bernensibus ad uerba* adit oppida pastor '*portans caseum uiride*' *supplentibus*, *non liquet utrum* '*portans*' *uaria lectio sit an potius explanatio*. *Ab Alfredo Housman* (*Class. Papers, II, 560–562*) *dissentio qui, post* sole cadente *et post* sub lucem *peringeniose distinguens, ab antecedentibus sententiis mutuatur uerba* mulsere (*u. 401*) *et* premunt (*u. 402*), *ut pars altera narrationis plane respondeat priori. Haec duplex ellipsis mihi nimis uidetur dura.* **403** «paruo, *alii* parco» *schol. Bern.* **408** indignatos **M** (*corr.* **M**$^{2}$)

saepe etiam cursu timidos agitabis onagros
et canibus leporem, canibus uenabere dammas;
saepe uolutabris pulsos siluestribus apros
latratu turbabis agens, montisque per altos
ingentem clamore premes ad retia ceruum.
    Disce et odoratam stabulis accendere cedrum
galbaneoque agitare grauis nidore chelydros.
saepe sub immotis praesepibus aut mala tactu
uipera delituit caelumque exterrita fugit,
aut tecto adsuetus coluber succedere et umbrae
(pestis acerba boum) pecorique aspergere uirus
fouit humum. cape saxa manu, cape robora, pastor,
tollentemque minas et sibila colla tumentem
deice! iamque fuga timidum caput abdidit alte,
cum medii nexus extremaeque agmina caudae
soluuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbis.
est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
squamea conuoluens sublato pectore terga
atque notis longam maculosus grandibus aluum,
qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus et dum
uere madent udo terrae ac pluuialibus Austris,
stagna colit ripisque habitans hic piscibus atram
improbus ingluuiem ranisque loquacibus explet;
postquam exusta palus terraeque ardore dehiscunt,
exsilit in siccum et flammantia lumina torquens
saeuit agris asperque siti atque exterritus aestu.

**MPR**

**411** uolutabis **P** **412** turbaris **P**: terrebis **R** agens] agros **M** **414** in stabulis **a**$^{2}$**ev** incendere **οη**, *Colum. 7, 4, 6* **415** galbaneosque **M** (*corr.* **M**$^{x}$) graui **kno**, *Non. 315, 6*, *Seru.* (*cf. Sil. 1, 412*) **416** ignotis **R** **418** succederet **MPtz** (*corr.* **M**$^{x}$): succedere e **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$): succendere **av** **420** fodit **bg** **422** namque **Pa** **423** agmine **Rf**, *DSeru. ad Aen. 2, 212* **426** pectore] corpore **P** (*cf. Aen. 2, 474*) **428** ulli] tumidi *susp. Ribbeck*: alti *Courtney* (*«WJA» 33, 2009, 82*); *at locutio est emendata et Latina*: *nam adiectiuum indefinitum* ulli *hypotheticum colorem sententiae inducit*, *quasi sit* '*si forte amnes palustria creant loca exundando*' **429** ac] et **R** **430** hic] tum *Non. 327, 11* (*sed* hic *242, 27*) **431** implet *recc.* **432** ex(h)austa **cr?nγ** **433** ex(s)ilit **Rgrno**: extulit **M**: exiit **Pωγ**: exuit **δ** torquent **P**

ne mihi tum mollis sub diuo carpere somnos
neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas,
cum positis nouus exuuiis nitidusque iuuenta
uoluitur, aut catulos tectis aut oua relinquens,
arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.
    Morborum quoque te causas et signa docebo.
turpis ouis temptat scabies, ubi frigidus imber
altius ad uiuum persedit et horrida cano
bruma gelu, uel cum tonsis inlotus adhaesit
sudor, et hirsuti secuerunt corpora uepres.
dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magistri
perfundunt, udisque aries in gurgite uillis
mersatur missusque secundo defluit amni;
aut tonsum tristi contingunt corpus amurca
et spumas miscent argenti uiuaque sulpura
Idaeasque pices et pinguis unguine ceras
scillamque elleborosque grauis nigrumque bitumen.
non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est,
quam si quis ferro potuit rescindere summum
ulceris os; alitur uitium uiuitque tegendo,
dum medicas adhibere manus ad uulnera pastor

**MPR**

**435** ne **M$^{x}$PRωγ**, *Quint. 9, 3, 21*, *Probus 251, 11*, *Seru. ad georg. 2, 475 codd. plerique*, *schol. Bern.*: nec **Manε**, *DSeru.*; *cf. georg. 2, 252 sq.* tunc *Seru. ad georg. 2, 475* **436** herbam **b** **439** *hunc u.* (= *Aen. 2, 475*) *delendum putauit Haupt, teste Ribbeck* **441** ubi] cum **R**, *Colum. 7, 5, 5* **443** inlotus **M$^{x}$ωγ$^{1}$**, *Seru.*, *schol. Bern.*: inlutus **MPRγ**, *Colum. 7, 3, 10* **444** hirsutis **MR** (*corr.* **M$^{x}$**), *Colum. 7, 3, 10* **448** contingunt] perfundunt **a$^{2}$kδη**: coniungunt **ζ** **449** et] aut *GLK VI, 637, 15*, *VII, 339, 22* uiuaque sulpura **b$^{2}$g$^{2}$η**, *Macrob. 5, 14, 4*, *Seru.*, *schol. Bern.*, *Gramm.* (uiua et sulpura **r**): et sulp(h)ura uiua **MPRωγ**, *Hos. Get. 332*, «*quidam*» *ap. Victorinus 212, 21*, *GLK VII, 289, 2 et 309, 32*: ac sulphura uiua **nζ**; *agnouerunt grammatici uersum hypermetrum quem libri antiquiores mutato uerborum ordine ad solitam hexametri normam accommodauerunt*; *uide appar. ad georg. 2, 69* **452** laborum] malorum *schol. Bern.* est *om.* **gzζ**

abnegat et meliora deos sedet omina poscens.
quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
cum furit atque artus depascitur arida febris,
profuit incensos aestus auertere et inter
ima ferire pedis salientem sanguine uenam,
Bisaltae quo more solent acerque Gelonus,
cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum
et lac concretum cum sanguine potat equino.
quam procul aut molli succedere saepius umbrae
uideris aut summas carpentem ignauius herbas
extremamque sequi aut medio procumbere campo
pascentem et serae solam decedere nocti,
continuo culpam ferro compesce priusquam
dira per incautum serpant contagia uulgus.
non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo
quam multae pecudum pestes. nec singula morbi
corpora corripiunt, sed tota aestiua repente,
spemque gregemque simul cunctamque ab origine gentem.
tum sciat, aërias Alpis et Norica si quis
castella in tumulis et Iapydis arua Timaui
nunc quoque post tanto uideat desertaque regna
pastorum et longe saltus lateque uacantis.
  Hic quondam morbo caeli miseranda coorta est
tempestas totoque autumni incanduit aestu
et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,

**MPR**

**456** et **Pωγ**$^{1}$, *schol. Bemb. ad Ter. Adelph. 693*, *Seru.*: aut **MRbcr?ηγ** omina **Ma**$^{2}$ (omni **a**) **ω**, *Seru. ut uid.*: omnia **PRefginεγ**; meliora … omnia *uulgarem sermonem redolet, quod ab hoc loco mihi alienum uidetur* **462** atque] aut **M** **465** aut] et **M** (*corr.* **M**$^{A}$) carpentes **M** (*corr.* **M**$^{A}$) ignauius] segnius **R** **466** concumbere **P** (*cf. buc. 8, 87*) **467** serae] saepe **R** (sere **R**$^{2}$), *agnoscunt schol. Bern. ut uid.* **469** serpunt **P** **470** aequora **Rγ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **474** tunc **M**, *Seru. hic et ad Aen. 11, 247* et] ut **P**: aut **br?** **475** iapydis **ω** (lapydis **M**, lapidis **fz**), *ps. Probus*, *Seru. hic et ad Aen. 11, 247*: iapygis **Pbγ** (lapygis **R**; iapicis **a**), «*male quidam*» *ap. Seru.*, *schol. Bern. in lemm.* (*sed recte interpretantur*) arua **M**$^{P}$ (*corr. dein erasa*) **ωγ**$^{1}$, *Seru. ad Aen. 11, 247*, *schol. Bern.*: arma **MRcfvxnγ**: ora **P** **477** uocantis **P**: uagantis **bcγ** (*corr.* **γ**$^{1}$)

corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
nec uia mortis erat simplex, sed ubi ignea uenis
omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
rursus abundabat fluidus liquor omniaque in se
ossa minutatim morbo conlapsa trahebat.
saepe in honore deum medio stans hostia ad aram,
lanea dum niuea circumdatur infula uitta,
inter cunctantis cecidit moribunda ministros;
aut si quam ferro mactauerat ante sacerdos,
inde neque impositis ardent altaria fibris,
nec responsa potest consultus reddere uates,
ac uix suppositi tinguntur sanguine cultri
summaque ieiuna sanie infuscatur harena.
hinc laetis uituli uulgo moriuntur in herbis
et dulcis animas plena ad praesepia reddunt;
hinc canibus blandis rabies uenit, et quatit aegros
tussis anhela sues ac faucibus angit obesis.
labitur infelix, studiorum atque immemor herbae,
uictor equus fontisque auertitur et pede terram
crebra ferit; demissae aures, incertus ibidem
sudor et ille quidem morituris frigidus; aret
pellis et ad tactum tractanti dura resistit.
    Haec ante exitium primis dant signa diebus:
sin in processu coepit crudescere morbus,
tum uero ardentes oculi atque attractus ab alto
spiritus, interdum gemitu grauis, imaque longo
ilia singultu tendunt, it naribus ater

**MPR**

**481** corripuitque **Prnη**: corripitque **cγ** (*corr.* $\gamma^{1}$) **483** attraxerat **P**: abduxerat **γnεη**: addixerat **z** **488** magistros **R** **490** nec **Mζ** **492** ac] at **fgikyzδ**, *GLK IV, 492, 22*: aut **cetxnε** **495** reddunt] ponunt *GLK V, 587, 19* **498** studiorum *cum* immemor *iungunt «quidam» ap. DSeru.: cum* infelix *nonnulli edd.* **499** fortisque **ade** **500** dimissae **cdhε** **501** morituri **Mnγ** (*corr.* $\mathbf{M}^{A}\gamma^{1}$): moriturus **eghjrt** **502** attactu **n**, *Macrob. 6, 2, 10*: ad tractum **εγ** (*corr.* $\gamma^{1}$) tractandi **Mfjk** (*corr.* $\mathbf{M}^{A}$): tractante **P** **503** exilium **P**: exitum **R** **506** imaque] altaque **M** (imaque *in mg.* $\mathbf{M}^{2}$) **507** it] et $\mathbf{PR}^{2}$**b?iryζ**

sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos: ea uisa salus morientibus una;
mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
ardebant ipsique suos iam morte sub aegra
(di meliora piis, erroremque hostibus illum!)
discissos nudis laniabant dentibus artus.
ecce autem duro fumans sub uomere taurus
concidit et mixtum spumis uomit ore cruorem
extremosque ciet gemitus. it tristis arator
maerentem abiungens fraterna morte iuuencum
atque opere in medio defixa reliquit aratra.
non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
prata mouere animum, non qui per saxa uolutus
purior electro campum petit amnis; at ima
soluuntur latera, atque oculos stupor urget inertis,
ad terramque fluit deuexo pondere ceruix.
quid labor aut benefacta iuuant? quid uomere terras
inuertisse grauis? atqui non Massica Bacchi
munera, non illis epulae nocuere repostae:
frondibus et uictu pascuntur simplicis herbae,
pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu
flumina, nec somnos abrumpit cura salubris.
tempore non alio dicunt regionibus illis
quaesitas ad sacra boues Iunonis et uris
imparibus ductos alta ad donaria currus.
ergo aegre rastris terram rimantur et ipsis
unguibus infodiunt fruges montisque per arduos
contenta ceruice trahunt stridentia plaustra.

**MPR**

**508** oppressas *Macrob. 6, 2, 8* **509** insertos **P** **511** exitio hoc ipsum **P** exitium **b** **513** ardoremque **R** **516** condidit **R** **517** it **M**$^{2}$**Rωγ**, *DSeru.*: et **MPR**$^{2}$**b?r** **519** reliquit **M**$^{x}$**Pabirxnδε**, *fortasse Don. ad Ter. Andr. 412, Seru. ad buc. 2, 70* (*cf. georg. 3, 92–94*): relinquit **MRωγ** **524** ruit **e** **530** abrupit **fiz** **534** terram rastris **b** ipsi **Pb** **535** arduos **P**: altos **MRωγ** (*cf. u. 412*); arduos *per synizesim*, *ut e.g. georg. 2, 180* '*tenuis*'; *montium arduitas bene congruit cum nisu aratorum* (contenta ceruice, *u. 536*)

non lupus insidias explorat ouilia circum
nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
cura domat; timidi dammae ceruique fugaces
nunc interque canes et circum tecta uagantur.
iam maris immensi prolem et genus omne natantum
litore in extremo ceu naufraga corpora fluctus
proluit; insolitae fugiunt in flumina phocae.
interit et curuis frustra defensa latebris
uipera et attoniti squamis astantibus hydri.
ipsis est aër auibus non aequus, et illae
praecipites alta uitam sub nube relinquunt.
Praeterea iam nec mutari pabula refert,
quaesitaeque nocent artes; cessere magistri,
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus.
saeuit et in lucem Stygiis emissa tenebris
pallida Tisiphone Morbos agit ante Metumque
inque dies auidum surgens caput altius effert:
balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
arentesque sonant ripae collesque supini;
iamque cateruatim dat stragem atque aggerat ipsis
in stabulis turpi dilapsa cadauera tabo,
donec humo tegere ac foueis abscondere discunt.
nam neque erat coriis usus, nec uiscera quisquam
aut undis abolere potest aut uincere flamma;
ne tondere quidem morbo inluuieque peresa
uellera nec telas possunt attingere putris;
uerum etiam inuisos si quis temptarat amictus,
ardentes papulae atque immundus olentia sudor

**MPR**

**537** insidians **Rvγ**: insidiis **t** **539** timidae **e** **541** natantur **P** **543** flumine **acev** **544** deprensa **P** **545** astantibus] serpentibus **P** **548** iam nec mutari **MPωγ**, *GLK IV, 454, 33*, *VII, 241, 5*: nec iam mutari **Rbr**: nec mutari iam *Macrob. 6, 2, 13* **549** cessare **Mb?** (*corr.* **M**$^{A}$) **550** phyl(l)irides **Pefghjtvyznγ**: phil(l)irides **Rεη**: pyllirides **c**: phyliridis **r** **555** horrentesque **R**: ardentesque **jη** **557** delapsa **Pbeghjtv** **561** nec **abeghjkvxyΛ**: non **c** **563** uerum] quin **R** temptaret **Mj** (*corr.* **M**$^{A}$): tempterat **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$)

membra sequebatur, nec longo deinde moranti
tempore contactos artus sacer ignis edebat.

**MPR**

**566** contractos **Pefhjt**$\gamma^{1}$ acer **R**

# LIBER IV

Protinus aërii mellis caelestia dona
exsequar: hanc etiam, Maecenas, aspice partem.
admiranda tibi leuium spectacula rerum
magnanimosque duces totiusque ordine gentis
mores et studia et populos et proelia dicam.
in tenui labor; at tenuis non gloria, si quem
numina laeua sinunt auditque uocatus Apollo.
  Principio sedes apibus statioque petenda,
quo neque sit uentis aditus (nam pabula uenti
ferre domum prohibent) neque oues haedique petulci
floribus insultent, aut errans bucula campo
decutiat rorem et surgentis atterat herbas.
absint et picti squalentia terga lacerti
pinguibus a stabulis meropesque aliaeque uolucres
et manibus Procne pectus signata cruentis:
omnia nam late uastant ipsasque uolantis
ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.
at liquidi fontes et stagna uirentia musco
adsint et tenuis fugiens per gramina riuus,
palmaque uestibulum aut ingens oleaster inumbret,
ut, cum prima noui ducent examina reges
uere suo ludetque fauis emissa iuuentus,
uicina inuitet decedere ripa calori
obuiaque hospitiis teneat frondentibus arbos.

**MPR**

**2** prosequar *ps. Probus* (*cf. georg. 3, 340*) **4** ex ordine **cdfghikvxzΛ** (*praeter* **η**) $\gamma^1$ **6** si quam *van Wageningen* **11** campi **P** **14** a] ab **M** **15** manibus] maculis *Markland ad Stat. silu. 5, 3, 84* cruentum *Seru. ad Aen. 1, 235* (*sed* cruentis *ad buc. 6, 74*) **20** aut] atque **P**: et $\gamma^1$: *om.* **afghij** inumbret **MPRbrtζγ**: obumbret **ω**$\gamma^1$, *Colum. 9, 5, 4*, *Seru. ad u. 61 codd. plerique*: adumbret **fghijnδ** **21** ut] at **P** prima noui] uere nouo *Colum.* (*qui u. 22 om.*) ducunt **dfghijyz** **23** discedere **R**

in medium, seu stabit iners seu profluet umor,
transuersas salices et grandia conice saxa,
pontibus ut crebris possint consistere et alas
pandere ad aestiuum solem, si forte morantis
sparserit aut praeceps Neptuno immerserit Eurus.
haec circum casiae uirides et olentia late
serpulla et grauiter spirantis copia thymbrae
floreat, inriguumque bibant uiolaria fontem.
ipsa autem, seu corticibus tibi suta cauatis
seu lento fuerint aluaria uimine texta,
angustos habeant aditus: nam frigore mella
cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
utraque uis apibus pariter metuenda; neque illae
nequiquam in tectis certatim tenuia cera
spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
explent, collectumque haec ipsa ad munera gluten
et uisco et Phrygiae seruant pice lentius Idae.
saepe etiam effossis, si uera est fama, latebris
sub terra fouere larem, penitusque repertae
pumicibusque cauis exesaeque arboris antro.
tu tamen et leui rimosa cubilia limo
ungue fouens circum et raras superinice frondes.
neu propius tectis taxum sine, neue rubentis
ure foco cancros, altae neu crede paludi,
aut ubi odor caeni grauis aut ubi concaua pulsu
saxa sonant uocisque offensa resultat imago.
    Quod superest, ubi pulsam hiemem sol aureus egit
sub terras caelumque aestiua luce reclusit,
illae continuo saltus siluasque peragrant
purpureosque metunt flores et flumina libant
summa leues. hinc nescio qua dulcedine laetae

**MPR** **36** *desinit* **R**

**25** profluet **MR**$^{x}$ (proprofluet **R**) **ωγ**$^{1}$, *DSeru.*: profluit **Prγ**: profluat **b** **34** aluaria **MPRbr**, *Char. 107, 1*: aluearia **M**$^{A}$**ωγ**, *GLK VII, 252, 3* **43** fouere **PΦηγ**, *Non. 311, 34*: fodiere **M**: fodere **M**$^{x}$**tΛ**; *cf. u. 42* effossis **45** et] e **kxy**; «e leui … *alii* et leui *legunt*» *Seru.* **47–50** *post u. 17 transp. Ribbeck*, *praeeunte Heyne* **52** terra **M** (*cf. u. 43*) **53** saltum **P**

progeniem nidosque fouent, hinc arte recentis
excudunt ceras et mella tenacia fingunt.
hinc ubi iam emissum caueis ad sidera caeli
nare per aestatem liquidam suspexeris agmen
obscuramque trahi uento mirabere nubem,
contemplator: aquas dulcis et frondea semper
tecta petunt. huc tu iussos asperge sapores,
trita melisphylla et cerinthae ignobile gramen,
tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum:
ipsae consident medicatis sedibus, ipsae
intima more suo sese in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint – nam saepe duobus
regibus incessit magno discordia motu,
continuoque animos uulgi et trepidantia bello
corda licet longe praesciscere; namque morantis
Martius ille aeris rauci canor increpat, et uox
auditur fractos sonitus imitata tubarum;
tum trepidae inter se coeunt pinnisque coruscant
spiculaque exacuunt rostris aptantque lacertos
et circa regem atque ipsa ad praetoria densae
miscentur magnisque uocant clamoribus hostem.
ergo ubi uer nactae sudum camposque patentis,
erumpunt portis: concurritur, aethere in alto
fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem
praecipitesque cadunt; non densior aëre grando,
nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
ipsi per medias acies insignibus alis

**MP**

**57** excludunt **Pb?fjz** figunt **vζ**, *Seru.* **58** hinc **Mωγ**, *Non. 353, 29*, *DSeru.* («hinc *pro* ‘*dehinc*’»): hic **Pt** **62** iussos] tussos *Ribbeck cl. u. 267* (tunsos *Reiske*) **63** gramen] carmen **P** (*cf. buc. 9, 38*) **66** condunt **cfgiζ** **67** sin – exierint] *sententia pendet*; *post longam digressionem eo reuocatur oratio unde abrupte declinauerat* (*67* ad pugnam exierint ~ *77 sq.* ergo … erumpunt portis) **69** et – bello] animosaque regum *Prisc. 8, 72* **71** increpat] inuocat *Colum. 9, 9, 4* **73** dum **P**: tunc **cn**, *Non. 408, 15*: nunc **b** **74** spicula (*om.* -que) **afhixz** **78** concurritur *dist. edd. plerique*: alto *dist.* **M**$^{x}$, *Seru. ad u. 5* **81** fluit **tnγ**$^{1}$

ingentis animos angusto in pectore uersant,
usque adeo obnixi non cedere, dum grauis aut hos
aut hos uersa fuga uictor dare terga subegit.
hi motus animorum atque haec certamina tanta
pulueris exigui iactu compressa quiescent.
Verum ubi ductores acie reuocaueris ambo,
deterior qui uisus, eum, ne prodigus obsit,
dede neci; melior uacua sine regnet in aula.
alter erit maculis auro squalentibus ardens –
nam duo sunt genera: hic melior insignis et ore
et rutilis clarus squamis, ille horridus alter
desidia latamque trahens inglorius aluum.
ut binae regum facies, ita corpora plebis:
namque aliae turpes horrent, ceu puluere ab alto
cum uenit et sicco terram spuit ore uiator
aridus; elucent aliae et fulgore coruscant
ardentes auro et paribus lita corpora guttis.
haec potior suboles, hinc caeli tempore certo
dulcia mella premes, nec tantum dulcia quantum
et liquida et durum Bacchi domitura saporem.
At cum incerta uolant caeloque examina ludunt
contemnuntque fauos et frigida tecta relinquunt,
instabilis animos ludo prohibebis inani.
nec magnus prohibere labor: tu regibus alas
eripe; non illis quisquam cunctantibus altum

**MP** **97** *inchoat* **F**

**86** tantum **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **87** quiescent **Pωγ**, *DSeru. ad u. 67*: quiescunt **Mbhrzδγ**$^{1}$: quiescant **a**: quiescit *Colum. 9, 9, 6*; «*in Corneliani* quiescunt, *non* quiescent» *schol. Bern.* **88** ambo **Mabrtγ**, *DSeru. ad buc. 6, 18*, *Gramm.*: ambos **Pωγ**$^{1}$; *utrumque agnoscunt DSeru. hic, schol. Bern.* **91–94** *cum huic loco aliquid superuacaneum inesse uideretur* (alter … hic … ille alter), *quasi poeta alterum uersum pro altero substituere maluisset, u. 91 tollendum censuit Ribbeck, u. 92 secl. van Wageningen, quem Goold sequi non dubitauit. At uidetur Columella uersus ambos legisse qui, etsi detruncati et in unum perperam conflati, simul tamen apud eum exstant* (*9, 10, 2* …et rutilis clarus squamis insignis et ore). *Imputabisne istam uerborum redundantiam curis secundis poetae an potius eius uberrimo eloquio?* **97** terram sicco **Φ** (*praeter* **br**; terram et sicco **t**) **δε** **103** at] aut **P** **105** in stabulis **Mγ** (*corr.* **M**$^{A}$**γ**$^{1}$)

ire iter aut castris audebit uellere signa.
inuitent croceis halantes floribus horti
et custos furum atque auium cum falce saligna
Hellespontiaci seruet tutela Priapi.
ipse thymum tinosque ferens de montibus altis
tecta serat late circum, cui talia curae;
ipse labore manum duro terat, ipse feracis
figat humo plantas et amicos inriget imbris.
    Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum
uela traham et terris festinem aduertere proram,
forsitan et pinguis hortos quae cura colendi
ornaret canerem biferique rosaria Paesti,
quoque modo potis gauderent intiba riuis
et uirides apio ripae, tortusque per herbam
cresceret in uentrem cucumis; nec sera comantem
narcissum aut flexi tacuissem uimen acanthi
pallentisque hederas et amantis litora myrtos.
namque sub Oebaliae memini me turribus arcis,
qua niger umectat flauentia culta Galaesus,
Corycium uidisse senem, cui pauca relicti
iugera ruris erant, nec fertilis illa iuuencis
nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho.
hic rarum tamen in dumis holus albaque circum
lilia uerbenasque premens uescumque papauer
regum aequabat opes animis seraque reuertens

**FMP** **124** *desinit* **F**

**110** furum] frugum **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **112** tinosque **MP**, *agnoscit DSeru.*: pinosque **FM**$^{2}$**ωγ**; *cf. u. 141* **113** circum late **P**: altae circum **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **114** laborem animum **M** (labore manu **M**$^{x}$) feracis] tenaces **a**$^{2}$, *agnoscunt schol. Bern.* **117** prora **F** (*corr. ead. man.*): proras **b?γ** (*corr.* **γ**$^{1}$); *cf. Aen. 7, 35* **120** riuis] fibris **g**$^{2}$**η**, *Prisc. 9, 39 et 11, 17*, *agnoscunt schol. Bern.* (*cf. georg. 1, 120*) **122** sero **ω** (*praeter* **bdegrt**) **γ**$^{1}$, *Seru. codd. aliquot* **124** pallentis (*om.* -que) **F** litore **Pγ?** (*corr. man. rec. in* **P**, **γ**$^{1}$) **125** arcis **Pb**$^{2}$**γ**, *Arus. 491, 10*, *ps. Probus*, *DSeru.*: altis **M**$^{x}$ (autis **M**) **ωγ**$^{1}$, *Agroec. 118, 3*, *GLK VII, 279, 28*, *Seru. ad Aen. 2, 12* (*cf. Aen. 9, 470*; *10, 121 al.*) **127** relicta **r** **128** iuris **M** **129** pecori] Cereri *Salmasius* (*cf. georg. 2, 229*) sedes **P** **132** animo **adfhrζ**, *Sen. ben. 1, 7, 1* seramque **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$); «*in Ebrii* seram» *schol. Bern.*

nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.
primus uere rosam atque autumno carpere poma,
et cum tristis hiems etiamnum frigore saxa
rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,
ille comam mollis iam tondebat hyacinthi
aestatem increpitans seram Zephyrosque morantis.
ergo apibus fetis idem atque examine multo
primus abundare et spumantia cogere pressis
mella fauis; illi tiliae atque uberrima tinus,
quotque in flore nouo pomis se fertilis arbos
induerat, totidem autumno matura tenebat.
ille etiam seras in uersum distulit ulmos
eduramque pirum et spinos iam pruna ferentis
iamque ministrantem platanum potantibus umbras.
uerum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
praetereo atque aliis post me memoranda relinquo.
  Nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse
addidit expediam, pro qua mercede canoros
Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae
Dictaeo caeli regem pauere sub antro.
solae communis natos, consortia tecta
urbis habent magnisque agitant sub legibus aeuum
et patriam solae et certos nouere penates;

**MP** **153** *inchoat* **F**

**135** etiam nunc **ω** (*praeter* **rεη**) **γ**$^{1}$ **137** iam **Mbkrxynδζγ**: iam tum **Pωγ**$^{1}$ hyacinthi (iac-) **MPωγ**$^{1}$ (hiacanti **γ**): ac(h)ant(h)i **acdegjtwzε** (*cf. u. 123*) **139** idem atque] idemque **P** **141** illic **P**, *agnoscunt schol. Bern.* tilia **M** tinus **M**: pinus **M**$^{x}$**Pωγ**, *Seru.*, *schol. Bern.*; «*ipsius manu duplex fuit scriptura,* pinus *et* tinus» *DSeru.*; *cf. u. 112* **144** in uentum **P** **145** et duramque **Pε** (ecduramque *schol. Bern.*, *Ribbeck*) pinum **M** (*corr.* **M**$^{2}$) **147** ipsa **M** (*corr.* **M**$^{A}$) quidem **abcdgwn** **148** me memoranda **b**$^{2}$**h**$^{2}$**i**$^{2}$**j**$^{2}$**w**$^{2}$ (*cf. Colum. 10, 5*): memoranda (*om.* me, *ex haplogr.*) **MPωγ**: commemoranda **cdjktwzεη** **150** pro qua mercede *i.e.* '*mercedem rependens propter quod*'; *haeret Donatus ap. Seru.* («*ut etiam Donatus dicit tragicum est et ultra carmen georgicum, si accipiamus* pro qua mercede *exclamationem esse, ut sit* '*pro quanta hoc mercede fecerunt!*'»), *nec melius interpretatur Seru.* **151** corybantiaque **a**$^{2}$, *schol. Bern.* **154** magnis (*om.* -que) **P** **155** et$^{2}$ *om.* **bc**

uenturaeque hiemis memores aestate laborem
experiuntur et in medium quaesita reponunt.
namque aliae uictu inuigilant et foedere pacto
exercentur agris; pars intra saepta domorum
narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten
prima fauis ponunt fundamina, deinde tenacis
suspendunt ceras; aliae spem gentis adultos
educunt fetus; aliae purissima mella
stipant et liquido distendunt nectare cellas.
sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti
inque uicem speculantur aquas et nubila caeli,
aut onera accipiunt uenientum aut agmine facto
ignauum fucos pecus a praesepibus arcent:
feruet opus, redolentque thymo fraglantia mella.
ac ueluti lentis Cyclopes fulmina massis
cum properant, alii taurinis follibus auras
accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
aera lacu; gemit impositis incudibus Aetna;
illi inter sese magna ui bracchia tollunt
in numerum uersantque tenaci forcipe ferrum:
non aliter, si parua licet componere magnis,
Cecropias innatus apes amor urget habendi
munere quamque suo. grandaeuis oppida curae
et munire fauos et daedala fingere tecta;
at fessae multa referunt se nocte minores
crura thymo plenae: pascuntur et arbuta passim
et glaucas salices casiamque crocumque rubentem

**FMP** **174** *desinit* **F** **181** *inchoat* **R**

**156** laborum **a?c**: labores **gζ** **163** durissima **M** (*corr.* **M**$^{x}$) **164** liquido distendunt] dulci suspendunt **n** (dulci *etiam* **ζ**) **165** sorte *recc.* **169** feruet **F**$^{2}$**MPωγ**, *Seru. ad georg. 1, 190 et 4, 104*: feruit **Fγ**$^{1}$, *DSeru.*; «feruet, *in Ebrii* feruit» *schol. Bern.*; *cf. Aen. 1, 436* fraglantia **F**$^{2}$ (*in ras.*) **Mbgkζγ**: flagrantia **Pω**, *Diom. 319, 18*: fragrantia **c**, *DSeru.*, *Isid. 17, 9, 12*; *cf. Aen. 1, 436* **170** lenti **F** (*corr.* **F**$^{2}$): lente **P** **173** aet(h)na **Mωγ**, *schol. Bern.*: antrum **FPdf?wε** (*ex Aen. 8, 451*) **174** «tollunt, *alii* iactant» *schol. Bern.* **177** habendi] agendi *Peerlkamp*, *Nisbet* («*MD*» *26, 1991, 87 sq.*) **181** plena **acdfivw** «passim, *alii* circum» *schol. Bern.* (*cf. u. 188*)

et pinguem tiliam et ferrugineos hyacinthos.
omnibus una quies operum, labor omnibus unus:
185 mane ruunt portis, nusquam mora; rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;
fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
post, ubi iam thalamis se composuere, siletur
190 in noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
nec uero a stabulis pluuia impendente recedunt
longius aut credunt caelo aduentantibus Euris,
sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur
excursusque breuis temptant, et saepe lapillos,
195 ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram,
196 tollunt, his sese per inania nubila librant.
203 saepe etiam duris errando in cotibus alas
204 attriuere ultroque animam sub fasce dedere:
205 tantus amor florum et generandi gloria mellis.
197 Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
quod neque concubitu indulgent, nec corpora segnes
in Venerem soluunt aut fetus nixibus edunt;
200 uerum ipsae e foliis natos, e suauibus herbis

**MPR**

**185** numquam **P** **187** tum$^{2}$] tunc **MP** **188** mussant (*om.* -que) **P**; *cf. u. 154* «limina, *alii* litora» *schol. Bern.* **193** totae **P** **195** stabiles **Mγ** (*corr.* **M$^{A}$γ$^{1}$**) flatu **P** **203–205** *post u. 196 transp. Bentley et Schrader*: *alii eos alio transferendos esse censuerunt* (*post u. 183 Wagner*, *post u. 207 in parenthesi Goldbacher, «WS» 31, 1909, 169 sqq. et Franco, «Gymnasium» 11, 1912, 418 sq., post u. 218 Ribbeck*), *uel secundis curis additos esse iudicauerunt. Hi uersus, perperam post u. 202 collocati, sententiarum continuationem abrumpunt; nam uu. 206–208, cum consequenter (cf.* ergo) *eos uersus concludant qui dicunt de perpetua apium generatione* (*uu. 201–202*), *oportet cum iis stricte coniungantur. Alienos uersus post u. 196 transpone et percommode uidebis aduerbia* saepe (*u. 194*) *et* saepe etiam (*u. 203*) *locata esse contigue; sic bene refecta, oratio currit continua et expedita* **204** animas *Non. 312, 26* **205** florum] laudum *Seru. ad u. 5* (*sed* florum *hic*); *cf. georg. 3, 112* **198** neque **PRγ$^{1}$**: nec **M$^{A}$** (dec **M**) **ωγ**, *Gell. 4, 16, 7*, *Asper p. 535, 20*, *Arus. 478, 13* **199** nixibus **ωγ$^{1}$**, *Seru.*, *DSeru.*, *schol. Bern.*: nexibus **M** (*ut uid.*) **Rhjrγ** (necsibus **P**) **200** e$^{1}$ **MRbry?Λγ**, *Lact. diu. inst. 1, 8, 8*, *DSeru.*: *om.* **RΦε**: et **k** e$^{2}$ **MPfgjkδεη**, *Lact.*: sed **R**: et **ωγ**: *om.* **r**

ore legunt, ipsae regem paruosque Quirites
202 sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt.
206 ergo ipsas quamuis angusti terminus aeui
excipiat (neque enim plus septima ducitur aestas),
at genus immortale manet, multosque per annos
stat fortuna domus, et aui numerantur auorum.
Praeterea regem non sic Aegyptus et ingens
Lydia nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes
obseruant. rege incolumi mens omnibus una est;
amisso rupere fidem constructaque mella
diripuere ipsae et crates soluere fauorum.
ille operum custos, illum admirantur et omnes
circumstant fremitu denso stipantque frequentes
et saepe attollunt umeris et corpora bello
obiectant pulchramque petunt per uulnera mortem.
His quidam signis atque haec exempla secuti
esse apibus partem diuinae mentis et haustus
aetherios dixere; deum namque ire per omnia,
terrasque tractusque maris caelumque profundum;
hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarum,
quemque sibi tenuis nascentem arcessere uitas;
scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
omnia, nec morti esse locum, sed uiua uolare

**MPR**

**201** paruosque] pabulumque **M** (*corr.* **M**[A]) **202** refingunt **Rbdfgwnδηγ** (relingunt **P**); *cf. uu. 57 et 179*: refigunt **Mωγ**[1], *Seru.*, *DSeru.*, *schol. Bern.* **208** at] et **R**: ac **γ?** (*corr.* **γ**[1]); «et, *alibi* at» *DSeru.* **210–218** *ante u. 197 transp. Erren* **210** aegyptus **R**: aegyptos **M** (-ios **P**), *ps. Probus* **211** parthorum populi (*om.* nec) **cdw** aut] et **M** **215** ille admiratur **M** (*corr.* **M**[A]): illum admirantes **γ** (*corr.* **γ**[1]) **216** frementes **b?fhij** **217** corpora] pectora **P** (*cf. Aen. 8, 29*) **221** omnia *Peerlkamp ad Aen. 7, 237*, *ex Ambros. off. 1, 13*: omnis (-es) *codd.*, *Min. Fel. 19, 2*, *Lact. diu. inst. 1, 5, 12*, *Aug. ciu. 4, 11*, *Seru.*, *schol. Bern.*; omnia *bisyllabum per synizesin* (*cf. Aen. 6, 33*), *quod qui non recognouit in* omnis *mutauit*; terrasque tractusque … caelumque *tricolon adpositiuum est* (*cf. Emped. frg. 38 D.-K.*; *Enn. ann. 543 Vahl.*[2] [= *556 Sk.*]; *Plaut. Amph. 1055, necnon buc. 4, 50 sq.*) **223** hic **R** **224** accersere **R**: accessere **γ** (*corr.* **γ**[1]) **225** referre **M** (*corr.* **M**[2])

sideris in numerum atque alto succedere caelo.
    Si quando sedem augustam seruataque mella
thesauris relines, prius haustu sparsus aquarum
ora foue fumosque manu praetende sequacis.
bis grauidos cogunt fetus, duo tempora messis:
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias et Oceani spretos pede reppulit amnis,
aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
tristior hibernas caelo descendit in undas.
illis ira modum supra est, laesaeque uenenum
morsibus inspirant et spicula caeca relinquunt
adfixae uenis animasque in uulnere ponunt.
sin duram metues hiemem parcesque futuro
contusosque animos et res miserabere fractas,
at suffire thymo cerasque recidere inanis

**MPR**

**227** succedere] se condere **R** **228** augustam **M**$^{A}$ (-ta **M**) **PbdektvwxΛγ**, *Seru.*, *DSeru.*, *schol. Bern.*: angustam **RΦ** **229** thensauri retines **P** haustu **M**$^{A}$ (astu **M**) **Rb?cijrwxzΛ** (austu **γ**), *DSeru. ad u. 230*: haustus **Padefhktvyγ**$^{1}$, *Seru. ad u. 230 ut uid.*: haustum **g** **230** ora foue **Φζ**, *Seru. codd. aliquot in lemm.* (*cf. georg. 2, 135*): ore foue **Rab?t?vεγ**$^{1}$, *Seru.* («ore foue *ipsos haustus scilicet*»): ore faue **MPdf?wΛ** (ora faue **γ**), «*alii*» *ap. Seru.*, *DSeru.* («ore faue *cum religione et silentio accede*»; *cf. Aen. 5, 71*); ore foue *et* ore faue *agnoscunt schol. Bern. ut uid.* (*cf. Praef. 108*) manu] sinu **P** **231** fetus] flores **P**, «flores *emendatum fuit*» *DSeru.* **233** plias **MdzΛγ**, *schol. Bern.*: pleas **P**: pleias **RΦεζ**, *Seru.* rettulit **a**$^{2}$; «retulit, *alii* repulit» *schol. Bern.* **236–238** *post u. 230 transp. Bentley et Schrader*, *secundis curis additos censet Sabbadini. At ordo uersuum quem libri exhibent mihi uidetur omni reprehensione carere: inchoat enim poeta docere quomodo apiarii oporteat mel colligant* (*uu. 228–230*), *at statim supplet, uu. 231–235 adiectis, quando mel sit colligendum. Post hoc additamentum continuo oratio illuc redit unde parumper discederat:* '*quotienscumque apiarii manus fumosque aluariis admouerint* (*uu. 228–230*), *apes uidebis iratas repugnare contra* (*uu. 236–238*)' **238** adfixa **Φ** (*praeter* **bdr**) **nδ**: adfixa in **eοζη** uulnere **MPω**, *GLK VIII, 60, 12*, *Seru. hic et ad u. 80*, *DSeru. ad Aen. 9, 687*, *schol. Bern.*: uulnera **Rcfghγ**, *Macrob. 6, 6, 19*, *schol. Iuu. 4, 91* (*utrumque codd. Non. 233, 1*) **239** metuens **Rγ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **241** aut **Mjγ?** (*corr.* **M**$^{x}$**γ**$^{1}$) suffire **ωγ**, *Seru.*, *schol. Bern.*, *Prisc. ter*: suffere **Pr**: sufferre **MR** thumos **M** (*corr.* **M**$^{2}$): fauos thymo **P**

quis dubitet? nam saepe fauos ignotus adedit
stelio et lucifugis congesta cubilia blattis
immunisque sedens aliena ad pabula fucus;
aut asper crabro imparibus se immiscuit armis
aut dirum tiniae genus, aut inuisa Mineruae
laxos in foribus suspendit aranea cassis.
quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes
incumbent generis lapsi sarcire ruinas
complebuntque foros et floribus horrea texent.
    Si uero, quoniam casus apibus quoque nostros
uita tulit, tristi languebunt corpora morbo –
quod iam non dubiis poteris cognoscere signis:
continuo est aegris alius color; horrida uultum
deformat macies; tum corpora luce carentum
exportant tectis et tristia funera ducunt;
aut illae pedibus conexae ad limina pendent
aut intus clausis cunctantur in aedibus omnes
ignauaeque fame et contracto frigore pigrae;
tum sonus auditur grauior, tractimque susurrant,
frigidus ut quondam siluis immurmurat Auster,
ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,
aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.

**MPR**

**242** iam **P**$\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\gamma^1$) adhaesit **R** **243** stelio $\mathbf{M}^x$ (stello **M**) **Rbcdix**$\boldsymbol{\Lambda\gamma}$: stellio **P**$\boldsymbol{\Phi\gamma}^1$, *Seru. ad Aen. 5, 795*, *schol. Bern.*: stilio **afg**: stillio **w** *post* blattis *dist. edd. nonnulli qui,* '*congesta sunt cubilia* (*scil. apium*) *blattis*' *male interpretati, u. 244 cum inferioribus coniungunt; at uu. 242–244 tricolon formant conexum; nam* congesta cubilia blattis *periphrasis est quae significat* '*blattae quae sua cubilia in apium fauos ingesserunt praedabundae*' **244** pabula] pocula **M** (*corr.* $\mathbf{M}^A$) **245** scabro $\mathbf{M}^2\boldsymbol{\Lambda}$ **246** durum **acdfgwz**$\boldsymbol{\varepsilon}$ (dyr- **kxo**$\boldsymbol{\eta}$), *Non. 285, 6* tineae **cdejvwyzn**$\boldsymbol{\delta\gamma}^1$ **248–250** *post u. 235 transp. Ribbeck* **248** fuerunt **M** (*corr.* $\mathbf{M}^x$): fuerit **P** (*corr. ead. man.*) **251–252** si uero – morbo] *protasis est, cui post longam digressionem respondet apodosis* (*264*) hic iam … suadebo **251** nostris **R** **254** aegris color horridus alia uultum **M** (*corr.* $\mathbf{M}^A$, *sed* alia *non expuncto*) «uultum, *alii* uultu» *schol. Bern.* **259** ignauaque **PR** **260** tunc **P** **262** ut] aut **hj** stridit **MP**$\boldsymbol{\Lambda\gamma}$, *Seru. ad Aen. 5, 595*, *schol. Bern.*: stridet **R**$\boldsymbol{\Phi\delta\varepsilon\gamma}^1$ **263** rapidis clausus **r**

hic iam galbaneos suadebo incendere odores
mellaque harundineis inferre canalibus, ultro
hortantem et fessas ad pabula nota uocantem.
proderit et tunsum gallae admiscere saporem
arentisque rosas, aut igni pinguia multo
defruta uel psithia passos de uite racemos
Cecropiumque thymum et graue olentia centaurea.
est etiam flos in pratis cui nomen amello
fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;
namque uno ingentem tollit de caespite siluam
aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum
funduntur, uiolae sublucet purpura nigrae;
saepe deum nexis ornatae torquibus arae;
asper in ore sapor; tonsis in uallibus illum
pastores et curua legunt prope flumina Mellae.
huius odorato radices incoque Baccho
pabulaque in foribus plenis appone canistris.
    Sed si quem proles subito defecerit omnis
nec genus unde nouae stirpis reuocetur habebit,
tempus et Arcadii memoranda inuenta magistri
pandere, quoque modo caesis iam saepe iuuencis
insincerus apes tulerit cruor. altius omnem
expediam prima repetens ab origine famam.
nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
accolit effuso stagnantem flumine Nilum
et circum pictis uehitur sua rura phaselis,
quaque pharetratae uicinia Persidis urget,

**MPR**

**264** hinc **M**$^{A}$ **267** profuit *Prisc. 10, 27* **269** psithiae **M**$^{x}$ (-tiae **M**) γ$^{1}$ (sitiae γ), *schol. Bern.*: psithaec **R** **276** *hunc u. post alios secl. Ribbeck, secundis curis additum censuit Wagner* **278** et] en **M** (*corr.* **M**$^{A}$) prope] per **R**: pro γ (*corr.* γ$^{1}$) mellae **R**ωγ, *Seru.*: millae **MP**: amellae **M**$^{A}$**cdgz**, *schol. Bern.* **280** expone **R** **281** quem] quidem Φ (*praeter* **bjrt**) **o**γ (*corr.* γ$^{1}$), *Seru. codd. aliquot* **282** habebis **Pbe**$^{2}$: habenis **R** **290** uicinia] confinia *Bentley ad Lucan. 2, 435*

**et uiridem Aegyptum nigra fecundat harena*
et diuersa ruens septem discurrit in ora
usque coloratis amnis deuexus ab Indis,
omnis in hac certam regio iacit arte salutem.
exiguus primum atque ipsos contractus in usus
eligitur locus; hunc angustique imbrice tecti
parietibusque premunt artis, et quattuor addunt
quattuor a uentis obliqua luce fenestras.
tum uitulus bima curuans iam cornua fronte
quaeritur; huic geminae nares et spiritus oris
multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto
tunsa per integram soluuntur uiscera pellem.
sic positum in clauso linquunt et ramea costis
subiciunt fragmenta, thymum casiasque recentis.
hoc geritur Zephyris primum impellentibus undas,
ante nouis rubeant quam prata coloribus, ante
garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
interea teneris tepefactus in ossibus umor
aestuat, et uisenda modis animalia miris,
trunca pedum primo, mox et stridentia pinnis,
miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt,
donec ut aestiuis effusus nubibus imber

**MPR**

**291** *hunc u. post 290 habent* **Pω**, *post 292* **Mrtζγ**, *post 293* **R**; *uu. 291–293 secl. Wagner*, *secundis curis additos censet Sabbadini, alii alia coniecerunt. Suspicor poetam secundis adhibitis curis u. 292 subdidisse pro u. 291, quem librarii non eiecerunt sed perperam et permixtim receperunt in textum. Nam, cum ambo uersus ex Vergili manu esse uideantur, minime tamen credo placuisse poetae eos simul occurrere. Nescio an haec retractatio indicio nobis sit Vergilium aliquot de Aegypto uersus mutasse ut de infelici Gallo, illius regionis praefecto, omnem aboleret mentionem* (*uide Praefationem, p. 96, n. 2, et ad u. 315 adnotationem*) **294** hanc **Rfrw**, *Non. 327, 23* iacit **Mω**, *Non.*, *Seru.*, *DSeru.*: iacet **M**$^2$**PRrγ** **295** in **MPatnη**: ad **M**$^A$**Rωγ**, *Seru.* **301** obstruitur **PR**$^1$ (obstritur **R**) **ωγ**$^1$: opsuitur **M**, obsuitur **γ**; «obsuitur … *alii* obstruitur» *schol. Bern.* **306** ante$^2$] et ante **MR** (et *del.* **M**$^x$) **307** lignis **P** **311** tenueque **P**: tenuem (*om.* -que) **hijkxyznε** magis magis **Pabdervwγ** (magis **cζ**): magis ac magis **MRω** captant **Rc**$^2$ (-ptunt **c**)

erupere, aut ut neruo pulsante sagittae,
prima leues ineunt si quando proelia Parthi.
    Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
unde noua ingressus hominum experientia cepit?
pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe,
amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis
multa querens atque hac adfatus uoce parentem:
'mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius
ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum
(si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo)
inuisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
pulsus amor? quid me caelum sperare iubebas?
en etiam hunc ipsum uitae mortalis honorem,
quem mihi uix frugum et pecudum custodia sollers
omnia temptanti extuderat, te matre relinquo.
quin age et ipsa manu felicis erue siluas,
fer stabulis inimicum ignem atque interfice messes,
ure sata et duram in uitis molire bipennem,
tanta meae si te ceperunt taedia laudis.'
    At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
sensit. eam circum Milesia uellera Nymphae
carpebant hyali saturo fucata colore,
Drymoque Xanthoque Ligeaque Phyllodoceque,

**MPR**

**313** erupere **Pωγ**: erumpere **M**: eripuere **R** aut] uel **bcr?** **315** «*sane sciendum … ultimam partem huius libri esse mutatam; nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei continet fabulam, quae inserta est postquam irato Augusto Gallus occisus est» Seru. ad georg. 4, 1* (*cf. etiam Seru. ad buc. 10, 1*); *uide Praefationem, pag. 96* extulit **efgh?ik?wεζ,** *Seru. codd. aliquot*; «extudit … *alii* extulit» *schol. Bern.* **317** tempae **bdeitvwz** **319** sacrum] placidum *ex* placitum **M** (*cf. Aen. 1, 127*) **320** hac fatus **γ** (*corr.* **γ**$^{1}$): affatus hac **cdktw**: hac *om.* **aj** **322** ima] iam **PR** tenens **Pbc?f** a stirpe **Rhγ** **327** et] ac **br** pecudum **Mωγ**$^{1}$ (-codum **c**), *Non. 158, 37 et 460, 4*: pecorum **PRbrγ** **328** extulerat **evwy** **331** duram(m) **M**, *pathetice dictum*: ualidam **M**$^{A}$**PRωγ**, *Arus. 493, 12* (*cf. Aen. 11, 651*) **334** sentit **R** **336** ligeaque **M**$^{x}$ (legeaque *restituit* **M**$^{2}$) **ktyzoδηγ** (ligiaque **ab**), *Macrob. 5, 17, 17*: legeaque **MPω** (legeatque **R**)

caesariem effusae nitidam per candida colla,
Cydippe et flaua Lycorias, altera uirgo,
altera tum primos Lucinae experta labores,
Clioque et Beroe soror, Oceanitides ambae,
ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,
atque Ephyre atque Opis et Asia Deiopea
et tandem positis uelox Arethusa sagittis.
inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani Martisque dolos et dulcia furta,
aque Chao densos diuum numerabat amores.
carmine quo captae fusis dum mollia pensa
deuoluunt, iterum maternas impulit aures
luctus Aristaei, uitreisque sedilibus omnes
obstipuere; sed ante alias Arethusa sorores
prospiciens summa flauum caput extulit unda,
et procul: 'o gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
stat lacrimans et te crudelem nomine dicit.'
  Huic percussa noua mentem formidine mater
'duc, age, duc ad nos; fas illi limina diuum
tangere' ait. simul alta iubet discedere late

**MPR** **345** *inchoat* **G**

**338** nisaee spioque thaliaque (thalique **acdw**, et talique **γ**$^1$) cymodoceque (cymodoque **dw**) *add.* **acdwoδηγ**$^1$, *Macrob. 5, 17, 17* (*ex Aen. 5, 826*) **339** cydippeque **Riεζγ** (*corr.* **γ**$^1$) **343** *ante 342 habet* **γ** (*ord. rest.* **γ**$^1$) **345** curas … inanes **γ**$^1$ **347** aque **tnoη**, *Seru. hic et ad buc. 7, 13*: atque **MPRωγ** (adque **G**), *Arus. 489, 7*: uel *schol. Bern.* **348** fusis dum **Mγ**$^1$ (fusisis dum **γ**): dum fusis **PRω**: dum fusi **G**; *legem quae dicitur Marxiana secutus sum, ex qua apparet uerbum spondiacum saepius antecedere, si post caesuram semiquinariam monosyllabon longum cum spondiaco uerbo conectatur* (*itaque in Aeneidos prooemio legimus* '*Troiae qui*', *non* '*qui Troiae*') **350** sedibus **cfghjε** amnes **M** (*corr.* **M**$^1$) **351** obstipuere] exsiluere **a**$^2$ **352** flauum] placidum *Seru.* (*cf. u. 319 et Aen. 1, 127*) **353–355** *om.* **γ** (*add.* **γ**$^1$) **355** Penei] *propter spondaicam mensuram suspectum, a nonnullis ut glossema reiectum est*; magni *Bentley ad Lucan. 3, 191*: nostri *Peerlkamp* (*uide etiam Courtney, «BICS» 28, 1981, 21*) **357** perculsa **noδη**

flumina, qua iuuenis gressus inferret; at illum
curuata in montis speciem circumstetit unda
accepitque sinu uasto misitque sub amnem.
iamque domum mirans genetricis et umida regna
speluncisque lacus clausos lucosque sonantis
ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum
omnia sub magna labentia flumina terra
spectabat diuersa locis, Phasimque Lycumque
et caput unde altus primum se erumpit Enipeus,
unde pater Tiberinus et unde Aniena fluenta
saxosusque sonans Hypanis Mysusque Caicus
et gemina auratus taurino cornua uultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
in mare purpureum uiolentior effluit amnis.
postquam est in thalami pendentia pumice tecta
peruentum et nati fletus cognouit inanis
Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontis
germanae tonsisque ferunt mantelia uillis;
pars epulis onerant mensas et plena reponunt
pocula, Panchaeis adolescunt ignibus arae.
et mater ‘cape Maeonii carchesia Bacchi:

**GMPR**

**360** at] ad **Grγ** (*corr.* **γ**$^{1}$), *agnoscunt schol. Bern.* **361** montis] molis *Macrob. 5, 3, 4* speciem **M**, *imitatur Ou. met. 15, 508 sq.* ‘*cumulusque immanis aquarum / in montis speciem curuari … uisus*’: faciem **GPRωγ**, *schol. Ver. ad Aen. 2, 633*, *Lact. diu. inst. 4, 10, 7*, *Macrob.*; *sed apud Vergilium locutio* ‘*in faciem*’ *cum genet. numquam ualet abusiue pro* ‘*tamquam*’, *sed proprie formam indicat corporis humani* (*cf. e.g. Aen. 12, 623* ‘*in faciem … conuersa Metisci*’; *784* ‘*in aurigae faciem mutata Metisci*’; *cf. etiam georg. 2, 85*); *contrarie* ‘*in speciem*’ *cum genet.* (*quasi sit* ‘*ad instar*’) *ualet pro locutione comparatiua* (*cf. Hom. Od. 11, 243* οὔρεϊ ἶσον) circumstitit **G**: circumspicit **P** **363** *periit in* **G** **368** primus **M** (*euan. in* **G**) se *om.* **adgtvwzζ** (*euan. in* **G**) erumpit **Mωγ**$^{1}$, *Arus. 472, 15*, *schol. Bern.*: rumpit **Rbcrγ**, *Asper p. 539, 15*: rupit **Pη**: erupit **to** (*euan. in* **G**) **370** *hunc u. ante 369 transp. Schrader et Ribbeck* saxosumque **cikr?tvwxyzΛ**; «saxosum *legendum, non* saxosus, *ne sint duo epitheta*» *Seru.*; *at cf. Aen. 8, 559 et ea quae ad l. adnotaui* **371** cornua] corpore **M** (*corr.* **M**$^{A}$) **373** influit **ω** (*praeter* **bεη**), *agnoscit DSeru.* (*euan. in* **G**) **375** et *om.* **M** (*add.* **M**$^{A}$) **378** mensas] aras **P** (*cf. Aen. 5, 101*) **379** ignibus] pinguibus **M**$^{A}$

Oceano libemus' ait. simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum Nymphasque sorores,
centum quae siluas, centum quae flumina seruant.
ter liquido ardentem perfundit nectare Vestam,
ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
omine quo firmans animum sic incipit ipsa:
  'Est in Carpathio Neptuni gurgite uates
caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
et iuncto bipedum curru metitur equorum.
hic nunc Emathiae portus patriamque reuisit
Pallenen; hunc et Nymphae ueneramur et ipse
grandaeuus Nereus: nouit namque omnia uates,
quae sint, quae fuerint, quae mox uentura trahantur;
quippe ita Neptuno uisum est, immania cuius
armenta et turpis pascit sub gurgite phocas.
hic tibi, nate, prius uinclis capiendus, ut omnem
expediat morbi causam euentusque secundet.
nam sine ui non ulla dabit praecepta, neque illum
orando flectes; uim duram et uincula capto
tende; doli circum haec demum frangentur inanes.
ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,
cum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,
in secreta senis ducam, quo fessus ab undis
se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.
uerum ubi correptum manibus uinclisque tenebis,
tum uariae eludent species atque ora ferarum.

**GMPR**

**382** *periit in* **G** **384** perfundit **GMPRεζη**: perfudit **$M^{x}$Φnoδγ**, *Seru.*, *DSeru. ad u. 380* (*cf. georg. 3, 92*) **385** tectis **Mb** sublata **Mγ** (*corr.* **$M^{A}\gamma^{1}$**; *periit in* **G**) **386** formans **γ** (*corr.* **$\gamma^{1}$**), *Non. 357, 27* **387** carphatii *ps. Probus* **393** sunt … fuerunt *Wagner* (sunt *etiam* **vζ**) trahantur **$M^{2}$PRωγ$^{1}$**: trahentur **M**: trahuntur **gjoδζγ**: sequantur **$\gamma^{2}$**: sequentur *Macrob. 1, 20, 5* (*periit in* **G**) **396** capiendus uinclis **R** ut] et **zγ$^{1}$** **398** praecepta] responsa *Probus 255, 23*; «praecepta *responsa*» *DSeru.* ipsum **ixγ$^{1}$** **399** flectens **M** (*corr.* **$M^{x}$**): uinces **Φ** (*praeter* **brt**) **ζ** **400** frangentur **Mωγ**, *DSeru.*, *schol. Bern.*: -untur **PRcr** (*periit in* **G**) **401** *periit in* **G** **406** ludent **Rz**: inludent **bnδ** (inludunt *DSeru.*), *periit in* **G** (*cf. georg. 1, 181*)

fiet enim subito sus horridus atraque tigris
squamosusque draco et fulua ceruice leaena,
aut acrem flammae sonitum dabit atque ita uinclis
excidet, aut in aquas tenuis dilapsus abibit.
sed quanto ille magis formas se uertet in omnis,
tam tu, nate, magis contende tenacia uincla,
donec talis erit mutato corpore qualem
uideris incepto tegeret cum lumina somno.'
Haec ait et liquidum ambrosiae defundit odorem,
quo totum nati corpus perduxit; at illi
dulcis compositis spirauit crinibus aura
atque habilis membris uenit uigor. est specus ingens
exesi latere in montis, quo plurima uento
cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,
deprensis olim statio tutissima nautis;
intus se uasti Proteus tegit obice saxi.
hic iuuenem in latebris auersum a lumine Nympha
conlocat, ipsa procul nebulis obscura resistit.
iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
ardebat caelo et medium sol igneus orbem
hauserat, arebant herbae et caua flumina siccis
faucibus ad limum radii tepefacta coquebant,
cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
ibat; eum uasti circum gens umida ponti
exsultans rorem late dispergit amarum.
sternunt se somno diuersae in litore phocae;

**GMPR** **419** *desinit* **G**

**407** suus **MPR** (*corr.* **M**$^{x}$, *periit in* **G**) **409** sonitum flammae **M** **410** elabsus **G**: delapsus **nζ** **411** uertit **Pω** (*praeter* **djrzn**), *Aug. ciu. 10, 10* **412** tam tu *Ribbeck, cl. Aen. 7, 787 et Don. ad Ter. Hec. 417* (*cf. Lucr. 4, 81 sq.*; *5, 452 sq.*): tantu **MPγ**: tanto **Rωγ**$^{1}$, *Non. 258, 36*, *Seru.*: tantum **b**, «*alii*» *ap. Seru.*: tante **c** (*periit in* **G**); tanto *et* tantum *agnoscunt schol. Bern.* **415** defundit **Gdeghjtxnε** (defudit **at**, defendit **fw**), *DSeru.*: diffundit **Mbcikryoδηγ** (diffudit **ζγ**$^{1}$, difudit **z**): perfundit **P**: depromit **R** **416** perfudit **R** **421** fidissima **noδη** **423** a *om.* **Rbrnoη**, *Seru.*, *schol. Bern.* **428** radiis **M**, *Arus. 455, 6* **430** circum uasti **M** (*ord. rest.* **M**$^{x}$) **431** dispergit **MR**: discerpsit **P**: dispersit **ωγ** (desp- **dw**) **432** diuerso **abdefitwxoδε**

ipse, uelut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu uitulos ad tecta reducit
auditisque lupos acuunt balatibus agni,
considit scopulo medius numerumque recenset.
cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,
uix defessa senem passus componere membra
cum clamore ruit magno manicisque iacentem
occupat. ille suae contra non immemor artis
omnia transformat sese in miracula rerum,
ignemque horribilemque feram fluuiumque liquentem.
uerum ubi nulla fugam reperit fallacia, uictus
in sese redit atque hominis tandem ore locutus
'nam quis te, iuuenum confidentissime, nostras
iussit adire domos? quidue hinc petis?' inquit. at ille:
'scis, Proteu, scis ipse, neque est te fallere quicquam;
sed tu desine uelle. deum praecepta secuti
uenimus hinc lassis quaesitum oracula rebus.'
tantum effatus. ad haec uates ui denique multa
ardentis oculos intorsit lumine glauco
et grauiter frendens sic fatis ora resoluit:
'Non te nullius exercent numinis irae;
magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus

**MPR** *inchoat* **V**

**434** uespere **P** reduxit **dw** **435** auditique **ω** (*praeter* **bghr**) **γ** **436** considit **M**$^{x}$**PRbr**: consedit **MVωγ** **438** *om.* **V** (*add. fortasse* **V**$^{2}$ *supra u. 436*) **439** manicisque] uinclisque **aejvnδγ**$^{1}$ (*cf. u. 405*) **443** fuga **M** (*corr.* **M**$^{A}$): uiam **b** phallacia **M** (*corr.* **M**$^{A}$, pellacia *ut uid. al. man.*, *corr.* **M**$^{P}$): pellacia **Φ** (*praeter* **bcdtw**) **δ**, *schol. Ver.*, *schol. Bern.*, *agnoscit DSeru.*, *probauit Bentley* **446** domus **Mafghj** (*corr.* **M**$^{x}$) at] et **Pa** **447** proteus **M** (*corr.* **M**$^{x}$) **V**$^{2}$ (roteus **V**) **ejr** (-taeus **R**), *Rufin. 50, 36* quicquam **MRVbdirtwzΛ**, *Arus. 471, 30*, «*alii*» *ap. Seru. et schol. Bern.*: cuiquam **PΦεγ**$^{1}$ (quiquam **γ**), *Seru.* **449** lassis **MPVωγ**: lapsis **Raoε**, *DSeru. ad Aen. 2, 114*: fessis **γ**$^{1}$ **454** luis **MPVbfghikrynδγ**, *Seru.*, *DSeru. in lemm.* (*sed* lues *explicatur, ut uid.*); *cf. Aen. 1, 136*: lues **Rω**, *schol. Bern.* «commissa tibi … *alii ita distinguunt, ut sit 'a te commissa'*; *alii* tibi has miserabilis Orpheus» *Seru.*

haudquaquam ad meritum poenas, ni fata resistant,
suscitat et rapta grauiter pro coniuge saeuit.
illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
immanem ante pedes hydrum moritura puella
seruantem ripas alta non uidit in herba.
at chorus aequalis Dryadum clamore supremos
impleuit montes; flerunt Rhodopeiae arces
altaque Pangaea et Rhesi Mauortia tellus
atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
ipse caua solans aegrum testudine amorem
te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
te ueniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
et caligantem nigra formidine lucum
ingressus, Manisque adiit regemque tremendum
nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
at cantu commotae Erebi de sedibus imis
umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
quam multa in foliis auium se milia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
matres atque uiri defunctaque corpora uita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae
impositique rogis iuuenes ante ora parentum,
quos circum limus niger et deformis harundo

**MPRV** **461** *desinit* **P** **464** *desinit* **V** **471** *inchoat* **F**

**455** ad **P**: ob **MRVωγ**, *Seru.*, *schol. Bern.*, *Prisc. 14, 25*; haudquaquam ad meritum poenas *i.e. poenas merito certe minores, nullo modo congruentes ad culpae grauitatem* («*non tales quales mereris*» *bene interpretatur Seru., qui tamen solam lectionem* ob meritum *agnoscit*) ni] nisi **M** **460** supremos **MVωγ**, *Non. 388, 8*, *Seru.*, *DSeru.*, *schol. Bern.*: supremo **PRb** **461** impleuit **Vb** (*cf. buc. 6, 66*; *Aen. 5, 239 et 10, 220*; *Sil. 4, 692*): implerunt **Rωγ** (inpl- **M**), *DSeru.*: inpleruit **P**: impleuerunt **cv** (*def.* **t**) **462** pang(a)ea **Vωγ**, *schol. Ver. hic et ad Aen. 1, 3*, *ps. Probus*, *schol. Bern.* (-geae **fγ**[1]): panch(a)ea **Moδη**, *Macrob. 5, 17, 15*, *codd. Seru. ad u. 460* (pancheia **a**, *DSeru.*): panchai **R** (*cf. u. 379 et georg. 2, 139*) **472** *post hunc u. Aen. 6, 311–310–312 iterauit* **R** **473** foliis **FRΦεζ**, *Arus. 485, 6*, *schol. Bern.*: siluis **McfghijvΛγ** (*cf. Aen. 6, 309*): fluuiis «*alii*» *ap. schol. Bern.* **474** aut] iam **cwz**

Cocyti tardaque palus inamabilis unda
alligat et nouiens Styx interfusa coercet.
quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara caeruleosque implexae crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
atque Ixionii uento rota constitit orbis.
iamque pedem referens casus euaserat omnis,
redditaque Eurydice superas ueniebat ad auras
pone sequens (namque hanc dederat Proserpina legem),
cum subita incautum dementia cepit amantem,
ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:
restitit Eurydicenque suam iam luce sub ipsa
immemor heu! uictusque animi respexit. ibi omnis
effusus labor atque immitis rupta tyranni
foedera, terque fragor stagnis auditus Auernis.
illa "quis et me" inquit "miseram et te perdidit, Orpheu,
quis tantus furor? en iterum crudelia retro
fata uocant, conditque natantia lumina somnus.
iamque uale: feror ingenti circumdata nocte
inualidasque tibi tendens, heu non tua, palmas."
dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras
commixtus tenuis, fugit diuersa, neque illum
prensantem nequiquam umbras et multa uolentem

**FMR** **497** *desinit* **F**

**479** undae **F**$^{2}$; *cf. Aen. 6, 438* **482** caeruleisque **Mr** (*corr.* **M**$^{2}$) implexae – angues] inhians tria cerberus ora **F**, *qui u. 483 om.* (*corr. in ras. et u. 483 add.* **F**$^{2}$) implexae **Mtvz** (inpl- **γ**$^{1}$), *Arus. 484, 22*, *Seru.*: innexae **F**$^{2}$**Rγ?** (*cf. Aen. 6, 281*): impexae **M**$^{x}$**Λ** (inp- **F**$^{2}$, *al. man.*), *DSeru.*, *schol. Bern.*: amplexae **Φεζ** **484** ixionei **F**$^{2}$**ω** (*praeter* **br**) uento] «*deest* '*cum*'» *Seru.*; «uento *pro* '*aduentu*' *significat … aut* uentu *uerbum gerundi est, nam intellegi debet* '*aduentu*' *…; quidam sic:* uento *audiendum* '*consistente*'» *DSeru.*; uelox *Faber*: cantu *Burman*, *alii alia. Malim* uento *ut datiuum accipere, quasi sit* '*uento spiranti rota restitit, contra uentum subito constitit*' **488** subito **Rdfgtzγ** (*corr.* **γ**$^{1}$) **490** «Eurydicenque suam iam, *alii legunt* iam luce sub ipsa» *Seru.* **493** stagnis **FMωγ**: stagni est **R** (stagnist *Ribbeck*) auernis **Ma**$^{2}$**tεζη**, *DSeru.* (*cf. georg. 2, 164* '*fretis … Auernis*'; *Aen. 6, 118 et 564* '*lucis … Auernis*'): auerni **FRΦnoδγ**, *Seru.* **494** orpheus **Mcγ** (*corr.* **M**$^{x}$**γ**$^{1}$) **496** nutantia **noδ**

dicere praeterea uidit; nec portitor Orci
amplius obiectam passus transire paludem.
quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?
quo fletu Manis, quae numina uoce moueret?
illa quidem Stygia nabat iam frigida cumba.
septem illum totos perhibent ex ordine menses
rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
flesse sibi et gelidis haec euoluisse sub antris
mulcentem tigris et agentem carmine quercus:
qualis populea maerens philomela sub umbra
amissos queritur fetus, quos durus arator
obseruans nido implumis detraxit; at illa
flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
integrat et maestis late loca questibus implet.
nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei:
solus Hyperboreas glacies Tanaimque niualem
aruaque Riphaeis numquam uiduata pruinis
lustrabat, raptam Eurydicen atque inrita Ditis
dona querens; spretae Ciconum quo munere matres
inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi
discerptum latos iuuenem sparsere per agros.

**MR** **522** *inchoant* **FV**

**504** erepta **M**[2] **505** quo] quos **R**: quod **yzγ** (*corr.* **γ**[1]) quae] qua **ω** (*praeter* **bkroζ**; quia **a**) **γ**[1] moneret **M** (*corr.* **M**[2]) **506** *hunc u. secl. Ribbeck, praeeunte Heyne* **508** *om. Non. 526, 6–7* (*qui uu. 507–509 laudat*) **509** flesse sibi **R** (*cf. uu. 465 sq.* '*secum … canebat*', *et Stat. Theb. 11, 108*): fleuisse **Mωγ**, *Arus. 474, 19*, *Non.* antris **Mωγ**[1] (auntris **γ**); *cf. Ou. tr. 5, 1, 61*; *Sil. 3, 203*: astris **Ra**[2]**rv** (astri **y**) **516** non ulli] nullique **cdktwzε**: non nulli **fjxo** **520** munere] numine **fghjvx**, «numine, *alii* munere» *schol. Bern.*: murmure **y**: nomine *Markland ad Stat. silu. 3, 3, 87* **521** *post 518 transp. Courtney* («*BICS*» *46, 2002–2003, 192*), *ita ut non solum prodeat Orpheus Bacchi sacris initiatus, sed etiam ut uocabulum* munere (*u. 520*) *Bacchicam significet religionem ab Orpheo susceptam. At ordo uersuum emendatus est et incorruptus: nam u. 521 non Orphica mysteria significat, sed potius cruenta orgia Maenadum quae noctu solent debacchari* (*i.e.* σπαραγμὸς Βακχῶν); *et merito Vergilius flebile carmen de amissa Eurydice* '*munus*' *appellat* (quo munere = '*quo obsequio*'), *quasi Orpheus, uelut elegiacus poeta qui dominam suam perdite amat, cantum amoris plenum uxori donet* **522** direptum **fg**: diuersum *Non. 405, 7*

tum quoque marmorea caput a ceruice reuulsum
gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
uolueret, Eurydicen uox ipsa et frigida lingua,
a miseram Eurydicen! anima fugiente uocabat;
Eurydicen toto referebant flumine ripae.'
Haec Proteus, et se iactu dedit aequor in altum,
quaque dedit, spumantem undam sub uertice torsit.
at non Cyrene; namque ultro adfata timentem:
'nate, licet tristis animo deponere curas.
haec omnis morbi causa, hinc miserabile Nymphae,
cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
exitium misere apibus. tu munera supplex
tende petens pacem et facilis uenerare Napaeas;
namque dabunt ueniam uotis irasque remittent.
sed modus orandi qui sit prius ordine dicam:
quattuor eximios praestanti corpore tauros,
qui tibi nunc uiridis depascunt summa Lycaei,
delige et intacta totidem ceruice iuuencas.
quattuor his aras alta ad delubra dearum
constitue et sacrum iugulis demitte cruorem
corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
inferias Orphei Lethaea papauera mittes
et nigram mactabis ouem lucumque reuises;
placatam Eurydicen uitula uenerabere caesa.'

**FMRV** **535** *inchoat* **G**

**523** tunc **R** **524** medius **F** **525–526** uox ipsa – eurydicen *om.* **F** (*add.* $\mathbf{F}^{c}$) **529** uertice] gurgite **r** **530** ultro est **F**: est ultro **V** **531** componere **M** (*corr.* $\mathbf{M}^{A}$); *cf. Aen. 4, 341* **534** tu] tum **γ** (*corr.* $\gamma^{1}$), *Non. 460, 12* **538** eximios **Mω**$\gamma^{1}$, *Macrob. 3, 5, 6*: eximio **RVnγ** (*periit in* **FG**); *cf. u. 550* praestanti **FM**$\mathbf{V}^{2}$ (pre- **V**) **ω**, *Macrob.*: pr(a)estantis **Rγ** (*periit in* **G**); *cf. u. 550* **540** intacta **MVω**$\gamma^{1}$, *Macrob. 3, 5, 5*, *Seru. hic et ad Aen. 6, 38*: intactas **Rbdgwzγ**, *schol. Bern.* (*periit in* **FG**); *cf. u. 551* **541** deorum **cnε** **542** dimitte **Macdjvzγ** (*corr.* $\gamma^{1}$) **544** ostenderit] induxerit **b** (*cf. u. 552*) **545** orphei **MVωγ**, *schol. Ver.*, *Seru.* («*datiuus est Graecus*»), *DSeru.*: orphi $\mathbf{M}^{x}$: orpheo **Rnη** (*periit in* **FG**); «orphei, *in Ebrii* orphi» *schol. Bern.* (*cf. u. 553 et buc. 4, 57*) **546** reuisens *Burman* **547** *ante 546 transp. recc.*, *Bentley*, *abesse malebat Heyne*

Haud mora, continuo matris praecepta facessit:
ad delubra uenit, monstratas excitat aras,
quattuor eximios praestanti corpore tauros
ducit et intacta totidem ceruice iuuencas.
post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
inferias Orphei mittit lucumque reuisit.
hic uero subitum ac dictu mirabile monstrum
aspiciunt, liquefacta boum per uiscera toto
stridere apes utero et ruptis efferuere costis,
immensasque trahi nubes, iamque arbore summa
confluere et lentis uuam demittere ramis.
Haec super aruorum cultu pecorumque canebam
et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
fulminat Euphraten bello uictorque uolentis
per populos dat iura uiamque adfectat Olympo.
illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti,
carmina qui lusi pastorum audaxque iuuenta,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

**FGMRV** **548** *desinit* **F** **549** *desinit* **V**

**548** facessit **FRVωγ**$^{1}$, *Seru. hic et ad Aen. 4, 295* (*cf. Aen. 4, 295 et 9, 45*): capessit **Mrγ** (*euan. in* **G**); «capessit … *alii legunt* facessit» *schol. Bern.* **550** eximios **GMωγ**$^{1}$: eximio **Rγ**; *cf. u. 538* praestantis **R**$^{2}$; *cf. u. 538* **551** intacta **GM**$^{A}$**ωγ**: intacto **M**: intactas **Radz**; *cf. u. 540* **552** induxerit **bcζη**, *schol. Bern.*: duxerat **j** **553** orphei **Mωγ**: orphi **M**$^{x}$: orph(a)eo **Rb** (*periit in* **G**); *cf. u. 545* **556** et *om.* **boδη** **558** dimittere **Macdghjwyzoδη**, *Seru. codd. aliquot* **559** cultus **Gb?g** **564** oti] aeui **b?r** (*cf. Aen. 7, 776*) **566** cecini patulae **Rh**

# INDEX NOMINVM